B Denton

ECLOGAE LATINAE.

ECLOGAE LATINAE

E

MURETI ERNESTII RUHNKENII

ALIORUMQUE RECENTIORUM OPERIBUS

A

C. T. ZUMPTIO DESCRIPTAE

QUARTUM

RETRACTATAE AC SUPPLETAE

CURA

H. H. WOLFFII.

LIPSIAE

SUMPTUS FECIT ED. WARTIG (ERNESTUS HOPPE).

1885.

Praefatio.

Ad novam hanc libri utilissimi et diu in tabernis librariis frustra quaesiti editionem adornandam et, ubi opus mihi esse videretur, retractandam ut mentem appellerem, redemptoris potius impulsu quam mea ipsius voluntate et animi inclinatione adductus sum. Neque enim nescius eram, in quot quam graves reprehensiones hoc meum consilium incursurum esset, si has Eclogas ex optimis scriptoribus Latinis recentioris aetatis inde a Politiano usque ad Wolfium abhinc quadraginta annos „Selectorum“ nomine inscriptas nunc de integro in lucem emitterem, neque defuturos esse arbitrabar, qui in tanta similium librorum copia hanc operam plane supervacaneam maleque impensam esse dicerent. Nimirum prorsus singularia sunt huius libri fata. Cum enim anno 1829. Car. Tim. Zumptius hos locos in Germanicum sermonem conversos eo consilio foras dedisset, ut gymnasiorum discipulis materiam proponeret ad Latine scribendum destinatam, inventus est nescio qui, qui potestate usus non iusta illa quidem, sed legibus permissa eundem librum Latine exscriptum ederet, cum praesertim eam facultatem auctor ipse obtulisset singulorum librorum, ex quibus illi loci hausti erant, fontibus parum prudenter adscriptis. Quo facto magna incensus ira Zumptius ipse editionem quintam sui operis ita retractavit, ut liber plane novus exsisteret.

B. Denton

ECLOGAE LATINAE.

altiora enixam esse et confirmatam. Ac paulo post idem conqueritur, quod facultate Latine dicendi ac scribendi neglecta res, quae dicantur, eaeque cotidianae atque in sensus cadentes, quae nullum doctrinae pabulum habeant, illa superiores factae sint; at non quavis materia, quae utilis vocetur, sed sententiarum gravitate, cuius omnis in ipsa sit vis ac potestas, mentem corroborari introrsus et firmari illo vigore, qui efficiens sit constantiae, moderationis, animi praesentis atque excubantis. Tale autem studii doctrinaeque pabulum adulescentibus litterarum studiosis etiam his flosculis ex cultissimis hortis delibatis Zumptius conquirere voluit, eisdemque ego hunc librum prope intermortuum nunc reparatum tanquam munusculum defero quamvis levidense, quo fortioris lectionis copia ad satietatem instructi velut conditioribus utantur scitamentis.

Scrib. Lipsiae, Kal. Mai. a. 1885.

H. W.

Index scriptorum.

Angelus Politianus 1454—1494.

I.

De morte imperatoris Commodi a. 192. post Chr. nat.

(Herodian. hist. e Gr. transl. a Politiano interpr. libr. I. c. 16 sqq.).

Commodum ipsum quoque desinere aliquando ab sua vecordia et civitatem tyrannide liberari oportebat, idque anno ineunte, quem diem Romani festum agunt, ad Ianum, vetustissimum Italiae deum, referentes, cuius etiam Saturnum ipsum ab Iove filio pulsum, cum in terram descendisset, fuisse hospitem praedicant et, quod ibi latuisset, nomen Latio inditum. Quocirca etiam nunc Romani Saturnalia prius, dein vero initium anni more suo concelebrant. Estque eius dei biceps imago, ut a quo incipit et in quem desinit annus. Cum igitur hunc diem festum civitas agitaret in quo potissimum Romani invicem se colunt salutantque et nomismata alter alteri caeteraque omnifariam munera missitant, summique magistratus conspicuam sibi et solennem purpuram induunt: universis diem concelebrantibus, statuit Commodus non quidem ex imperatoriis (ut mos erat) aedibus, sed ex ipso gladiatorio ludo prodire in publicum ac pro eleganti vestitu purpuraque imperatoria procedere armatus, deducente gladiatorum agmine, in conspectum Romani populi. Quod ubi consilium suum ad Marciam retulit, unam e suis concubinis, cui scilicet plurimum deferebat,

ac prope uxoris eam loco habebat sic, ut praeter ignem omnes honores velut Augustae tribuerentur: intellecto mulier tam absurdo turpique consilio primum orare multis lacrimis supplexque ad genua accidere, ne aut Romanum imperium pollui pateretur, aut ipse vitam suam perditis ac deploratis hominibus tam periculose committeret. Sed cum diu supplicando nihil profecisset, lacrimans discessit. Ille praefectum exercitibus, Laetum nomine, et Electum cubiculi custodem ad se accitos parare iubet in ludo ipso gladiatorio, quo se dormitum recipiat, ut illinc ad sacrificandum mane procederet ac se armatum Romano populo ostentaret. Illi multis precibus persuadere tentabant, ne quid indignum principe conaretur. [Cap. 17.] Quibus Commodus ira percitus facessere ab se iussis, statim in cubiculum reversus, ut, quemadmodum consueverat, meridiaretur, sumpto in manus libello, quales de philyra tenuissimi atque in utramque partem replicabiles fiunt, conscribit in eo quoscunque illa nocte interficere destinaverat. Ex quibus prima erat Marcia, mox Laetus atque Electus, post hos ingens eorum numerus, qui plurimum auctoritatis in senatu obtinebant. Siquidem senes universos paternos amicos tollere e medio, ne censura illorum sua interpellarentur flagitia, bonaque ipsa divitum dilargiri partim militibus, partim gladiatoribus decreverat, ut alteri se defenderent, alteri oblectarent. Eum igitur libellum ita conscriptum supra lectulum deposuit, neminem ad se introiturum suspectans. Erat autem pusio quidam ita Commodo carus, ut cum illo saepe etiam cubaret ac Philocommodus appellaretur, ipso indicante nomine amorem principis. Hic itaque puer forte ludibundus, occupato inter balnea et crapulas Commodo, cubiculum (ut consueverat) ingressus, sumpto in manus qui supra lectulum iacebat libello, quicum lusitaret, foras processit ac forte quadam in Marciam incidit. Quae cum puerum etiam ipsa diligeret, complexa prius atque deosculata, libellum manu aufert, verita, ne quid ob infantiam inscius puer rerum fortasse graviorum labefaceret. Agnita dein Commodi manu

ac legendi cupidine magis illecta, ubi funesta contineri ac se primam peti intellexit, Laetumque et Electum subsequi, tantamque deinceps reliquorum futuram caedem; haec secum ingemiscens consusurrabat: Euge, Commode, haeccine praemia benevolentiae amorisque sunt? Ita scilicet de te merui, cum tam multos annos contumelias ebrietatemque tuam pertuli! Sed nequaquam tibi haec ita successerint, viro temulento adversus sobriam mulierem. His dictis Electum ad se arcessit traditoque in manus libello, Vide, inquit, Electe, cuiusmodi sumus hac nocte festum celebraturi. Is eo lecto expavefactus (erat autem Aegyptius genere, audax homo ac promptus et irasci facilis) statim signatum libellum per hominem sibi fidum Laeto legendum mittit. Qui item exterritus ad Marciam contendit, simulans de iis ire se consultatum, quae ad concinnandum ex iussu principis ludum gladiatorium pertinerent. Hoc igitur usi praetextu constituunt aut faciendum sibi quam primum aut patiendum aliquid, nullum morae locum, nullum procrastinationi esse. Placitum autem est, rem veneno agi, quod se facile daturam Marcia recepit, quippe solita primum illi miscere atque offere poculum, ut ab amica porrectum suavius biberetur. Igitur redeunti ex balneis commixtum vino odoratissimo venenum in calice obtulit. Ille, diu lavando venandoque feras collecta siti, veluti de more propinatum sibi temere interbibit. Quare statim capitis gravedine occupatus atque in soporem prolapsus, cum id ex labore accidisse opinaretur, quieti se tradidit. Electus autem et Marcia recedere omnes confestim et suam quemque domum reverti iubent, ne somni indigum Commodum expergefacerent. Id autem alias quoque ex ebrietate nimia facere consueverat. Nam cum vel balneis vel epulis operam daret, nullum scilicet habebat praestitutum quieti tempus. Etenim aliae ex aliis voluptates, eaeque inter se maxime diversae, servire sibi hominem etiam invitum quocunque tempore subigebant. Pauxillum igitur cum requiesset ac iam se ad stomachum et alvum veneni vis insinuasset, oborta vertigine vomitus

et quidem affatim consecutus est, sive ipso cibo, quem largiter ante sumpsisset, multaque meri potione virus expellente, seu quoniam principibus mos est, antequam cibum capiant, medicamento uti, quo venena prohibeantur. Ceterum cum multum evomuisset, veriti illi ne veneno quoque omni eiecto colligeret sese atque una omnes caedi imperaret, persuaserunt magna mercede Narcisso cuidam, audaci strenuoque adolescenti, ut ipsum in cubiculo strangularet.

Hunc finem vitae Commodus habuit, tredecim annos post parentis obitum imperio administrato, unus omnium ante se imperatorum nobilissimus omniumque eius aetatis hominum formosissimus; quodsi aliquid dicendum de fortitudine quoque est, ne in hac quidem cuiquam concessurus. Sed tamen totam vitae rationem studiis, ut dictum est, foedissimis contaminavit.

II.

De imperio Pertinacis.

(Libr. II. c. 1.)

Occiso Commodo cum celare factum interfectores et aulicas excubias fallere vellent, vili quodam stragulo involutum constrictumque corpusculum ac duobus exploratae fidei famulis impositum aedibus exportandum, velut aliquid supervacuum ex cubiculi supellectile, curaverunt. Qui autem exportabant, per medios evasere custodes partim ebrios dormitantesque ac manu languida tenentes hastilia, partim etiam socordes eorum, quae ad se parum pertinere arbitrabantur. Ita corpus principis furtim elatum ac per noctem vehiculo impositum in Aristeum miserunt. Laetus autem et Electus Marciaque, quid agendum foret diu deliberato, tandem decernunt, ita de eius morte rumores serere, quasi

repente in apoplexiam incidisset, quod facile de illo creditum iri existimabant, quem constabat identidem solitum immoderatis epulis saginari.

Sed ante omnia tamen visum est, aliquem provectum aetate ac modestum hominem deligere ad imperium, per quem et ipsi incolumes forent et omnes a saeva immoderataque tyrannide respirarent. Igitur diu consultato, neminem sic idoneum invenerunt ut Pertinacem. Erat autem Pertinax genere Italus, domi bellique rebus gestis clarus multisque insignis tropaeis, quae adversum Germanos atque orientales barbaros erexerat, unusque erat reliquus e gravissimis illis quos pater Commodo amicos reliquisset, cuique plurimum ex omnibus sociis ducibusque detulerat; tutus hactenus, vel gravitatem ipsam verito, vel ob paupertatem hominis dissimulante Commodo. Siquidem id quoque illius laudibus accedebat, quod cum plurima omnium administrasste, tamen erat omnium pauperrimus. Hunc igitur Pertinacem nocte intempesta, sopitis omnibus, Laetus atque Electus cum paucis eiusdem factionis adeunt et, cum ianuam occlusam offendissent, ianitorem excitarunt. Qui ubi adaperuit militesque et Laetum praefectum adesse vidit, perterritus atque expavefactus Pertinaci renuntiat. Is admitti illico iubet, eventura mox inquiens, quae sibi ad eam diem mala praesagiverat. Tanta porro fuit animi constantia, ut ne lecto quidem se moverit aut habitum oris demutaverit, sed ingressis Laeto atque Electo, quamvis ad se occidendum missos crederet, pleno audaciae vultu minimeque pallenti, Iampridem, inquit, hunc exitum vitae singulis etiam noctibus sperabam, qui ex omnibus paternis amicis unus adhuc essem reliquus. Itaque demirabar, quonam tam diu rem differret Commodus. Proinde quid statis? quin facitis imperata meque a tristi aliquando ac perpetua formidine liberatis? Ad haec Laetus, Desine, inquit, indigna te et superiore vita tua fabulari, neque nos mortem tuam, sed salutem cum nostram, tum Romani imperii petitum venimus. Iacet enim tyrannus debitasque luit poenas, ea passus

a nobis, quae in nos facere moliebatur. Quare huc adsumus imperium tibi tradituri, quem unum ex omni senatu vel temperantia vitae, vel auctoritate, vel aetate etiam et gravitate morum scimus esse praestantissimum, sperantes, quod agimus et optabile illis et nobis salubre futurum. Ad haec Pertinax, Desinite, inquit, senem ludere hominem atque ita timiditatis arguere, ut prius decipere, dein occidere studeatis. Atqui, inquit Electus, quando nobis parum credis, cape libellum hunc, (nam manum certe agnoscis Commodi) tute lege, cognosces procul dubio, quantum effugerimus periculi, neque tentamentum aliquod in nostris verbis, sed veri fidem deprehendes. Quod ubi Pertinax fecit, iam profecto viris antea quoque sibi amicissimis credendum ratus, intellecta omni re, totum se illorum potestati permisit.

III.

De eius caede.

(Libr. II. c. 4. extr.)

Multa item ad idem exemplum facturus videbatur, nam et delatores urbe exegerat et ubiubi invenirentur, puniri imperaverat, cavens, ne cui iniuria fieret aut de vanis criminibus periculum conflaretur. Ergo in maxima tranquillitate sese beatissimoque rerum statu victuros senatus ceterique arbitrabantur. Siquidem adeo se aequabilem paremque ceteris praestabat, ut filium quoque iam adolescentem in aulam palatinam numquam adduxerit, sed intra privatos parietes continuerit, sicut in ludum quoque litterarium atque gymnasia de more itaret, nihil privatis absimilis, erudireturque et omnia perinde ut quivis e medio agitaret.

[Cap. 5.] Cum in hac morum vitaeque modestia ageret, soli scilicet praetoriani milites, praesentem rerum conditionem haud satis aequo animo ferentes, veterem illam licentiam violenter se gerendi raptandique omnia affectabant.

Interque vina et epulas consilia inierunt Pertinacem e medio tollendi, gravem ipsis atque onerosum, alterumque eius loco imponendi rebus Romanis, indulgentem atque intemperantem nihilque denique non licentiae praebiturum. Igitur confestim, haud opinato, cunctis otium agitantibus, turbidi ac furentes, militari cursu, meridie ipso, protentis hastis, nudis gladiis, frequentes ad imperatoris aedes feruntur. Re autem subita insperataque perterriti cubicularii palatini, pauci plurimis et inermes armatis minime ausi resistere, relicta sua quisque statione diversi alii alio diffugerunt. Pauci tamen ex amicissimis nuntiato militum concursu persuadere Pertinaci conabantur, uti fuga sibi consuleret populique auxilium imploraret. Ille autem, tametsi utilia in praesens audiebat, tamen indecorum existimans atque illiberale minimeque dignum imperatoria maiestate atque ante acta vita, fugae aut latebris salutem debere, occurrere periculo ac procedere in medium decrevit, sperans persuasurum quae vellet, et furentes in praesens animos placaturum. Igitur cubiculo egressus factusque irruentibus obviam, quaerere caussas instituit tam subiti motus et a foedissimo illo tumultu absterrere, non attonitus periculo, sed habitum oris gravem moderatumque retinens, ac nihil humile, nihil pavidum aut obnoxium, nihil denique supplice dignum prae se ferens, ita ad eos verba fecit: Me quidem, o milites, inquit, si occiditis, neque ipsi rem magnam facitis neque mihi sane gravem, homini videlicet huius aetatis et gloriae, siquidem omni humanae vitae finis certe est aliquis necessarius: vos autem, principis curae custodiaeque et propulsandis aliunde periculis adhibitos, caedem ipsos facere primos neque civili tantum, sed imperatorio quoque sanguine polluere dextras, id vero videte, ne vel in praesens flagitiosum sit vobis vel in posterum periculosum. Neque enim ego ulla vos iniuria affeci. Si enim Commodi doletis interitu, nihil profecto novum fuit mori, qui homo natus fuerat: sin dolo necatum putatis, non meum sane id crimen, quippe quem ipsi scitis ab omni etiam suspicione procul abesse. Quae enim tu

acta sunt, vos primi cognita habuistis, ut etiamsi quid obortum suspicionis est, id utique alios attigerit. Ceterum ne illo quidem exstincto quidquam vobis defieri patiemur, quod modeste atque ex dignitate vestra, non autem per vim et rapinas concupiveritis. Ita loquente eo iam quidam ex iis permotum iri videbantur, neque sane pauci abire iam coeperant, veriti sanctimoniam principis ac senectutem; sed adhuc loquens senex a ceteris facto impetu obtruncatur. Qui statim perpetrato tam crudeli scelere, multitudinem declinantes indignissime laturam id facinus, occupant in castra abire, muroque continent se, dispositis pro turribus armatis, qui populum, si impressionem faceret, a moenibus arcerent. Hunc finem Pertinax sortitus est, vitae morumque, ut supra diximus, laudandus.

IV.

Iulianus imperium emercatur.

(Libr. II. c. 6.)

Sed cum dies unus itemque alter abiisset, plebsque universa, suo quisque metu, quietem ageret, et qui dignitate auctoritateque pollebant in sua praedia quam longissime ab urbe secessissent: milites ipsi quidem castris se continebant, constituto autem supra murum vocalissimo quoque edicunt venale imperium, tradituros que se ei, qui plurimum pecuniae polliceretur, tutoque in aulam cum armis deducturos. Id auditum neminem e senatu, gravitate atque auctoritate praeditum, neminemque e nobilitate aut ex his denique permovit, quicunque adhuc opulenti superabant, tenues reliquiae Commodi tyrannidis, neque ausus quisquam aut muro succedere aut turpem contumeliosumque dominatum pecunia pacisci. Sed enim Iuliano cuidam, consulari viro, qui grandem habere pecuniam credebatur, vespere supra cenam nuntiatur inter vinum atque epulas militum

edictum: quippe homo alioquin parum vitae continentis habebatur. Persuadent igitur uxor atque filia et parasitorum turba, ut relicta mensa acceleret et quid agatur intelligat; ac subinde inter eundum adhortantur, occupet proiectum imperium, superaturum largitione omnes, qui tantum divitiarum possideat. Igitur ubi muros accessit, clamare occoepit, daturum quae vellent, habere se magnas opes, plenos auri thesauros atque argenti. Eodemque tempore Sulpicianus, et ipse vir consularis ac praefectus urbi socerque Pertinacis, imperium licitabatur. Verum in eo milites suspectam habuerunt Pertinacis propinquitatem, subesse aliquid fraudis suspectantes, quo illius caedes vindicaretur. Ergo Iulianum scalis demissis supra muros attollunt, non prius ausi reserare portas, quam conveniret de numero dandae pecuniae. Ille ingressus in castra primum quidem honores Commodi et statuas, quas sustulerat senatus, instauraturum pollicebatur concessurumque ipsis quam quondam sub illo licentiam obtinuissent, praeterea militibus singulis plus multo argenti daturum, quam aut petere auderent aut accepturos exspectaverant; neque in dando moram futuram, nam domi eam pecuniam asservari. Quibus adducti rebus milites, atque in tantam spem erecti, Iulianum declarant principem, simul ei Commodi cognomen imponunt. Tum signis sublatis impositisque illius imaginibus deducere hominem tendunt. Igitur de more sacrificio in castris peracto exiit maiore militum comitatu quam ceteri consueverant. Siquidem per vim contraque populi voluntatem perque turpitudinem et dedecus imperium emercatus, iure impetum multitudinis verebatur. Sed induti armaturas milites circumseptique undique testudine facta, ut etiam, si res posceret, dimicarent, receptoque in medium imperatore suo, clipeis hastisque supra capita elatis, ut tutiores forent, si forte lapides e tectis mitterentur, deducunt eum in aulam, neque auso resistere populo neque, ut mos est, faustis acclamationibus prosequente, sed diras procul imprecantibus universis graviterque exprobrantibus, quod aere sibi imperium paravisset.

V.

De Severo imperatoriae dignitatis aemulo.

(Libr. II. c. 9.)

Praeerat Pannoniis universis (nam unius regebantur imperio) Severus quidam, genere Afer, vehemens homo negotiis gerendis ac ferox vitaeque assuetus durae et asperae, promptus excogitandis, acer exsequendis rebus. Qui postquam Romanum principatum pendere sublimem quasique direptui expositum vidit, alterum quidem ut desidem, alterum ut parum efficacem contemptui habuit. Addebant praeterea spem somnia quaedam et oracula ceteraque futurorum praesagia, tum denique fidem veri impetrantia, cum sunt eventum sortita, quorum pleraque ipse in libris de vita sua conscripsit ac publice in tabulis picta dedicavit. Sed quod illi extremum maximique momenti somnium spem propemodum omnem conciliavit, id ne nobis quidem silentio praetereundum. Quo enim tempore nuntiatum est, Pertinacem ad imperium adscitum, peracto Severus sacrificio iuratusque fidem principi, ubi primum domum rediit, somno comprehensus videt per quietem magnum quendam ac generosum equum ornatum phaleris imperialibus, qui Pertinacem ipsum per urbem veheret media sacra via. Sed ubi ad ipsum fori pervenit ingressum, in quem olim liber populus frequens conveniebat, visus est excussisse Pertinacem equus atque abiecisse humi proximeque adstanti Severo tergum substernere eumque perferre sublimem tuto in forum medium, conspicuum venerabundae multitudini. Manet autem adhuc huius imago somnii eodem ipso in loco ingens, ex aere conflata. Ad hunc igitur modum sublatis animis Severus, ac se divina providentia sollicitari ad imperium ratus, decrevit animos periclitari militum. Quare primum quidem praefectos tribunosque et primos militum sibi ad-

iungens cumque iis de Romano imperio sermones serens, abiectum id esse dictitabat, exsistente nullo, per quem fortiter atque ex dignitate gubernaretur. Invehens praeterea in praetorianas cohortes, quae sacramentum militare civili imperatorioque sanguine polluissent, vindicandam esse aiebat ac persequendam Pertinacis caedem, minime ignarus, excubare adhuc memoriam Pertinacis apud Illyricos exercitus, quoniam sub imperatore Marco multa illius ductu adversus Germanos tropaea excitaverant, et cum praefectus Illyrico foret, nullum non exemplum virtutis in proelio ostentaverat, benevolentiam porro ac probitatem, ad haec civile moderatumque imperium sociis praestiterat. Quocirca memoriam eius principis colentes tantam in illum editam crudelitatem indignissime ferebant. Hanc igitur Severus occasionem arripiens facile eos quo vellet adducebat, simulans non se quidem imperium quaerere aut summam potestatem affectare, sed ire ultum sanguinem tanti principis. Nam ut eius regionis homines corporibus utuntur praevalidis atque proceris et in pugnam caedemque paratissimis, ita pingui sunt ingenio, quare haud facile sentiunt, si quid agas dicasve astute ac subdole. Quocirca cum fidem fecisset Severus, caedem se Pertinacis persequi velle, ita sibi universos conciliavit, ut imperator diceretur summamque ab eis acciperet potestatem. Sed ubi Pannoniorum animos exploravit, statim vicinarum quoque gentium praesides, quaecunque Romano subiacent imperio, magnis illexit praemiis. Erat autem Severus unus omnium mortalium ad amorem simulandum maxime factus, sic ut ne ius iurandum quidem fallere dubitaret, si ita usus posceret; longeque aliud in lingua promptum quam in animo reconditum gerebat.

VI.

[Cap. 11.] At Severus nihil procrastinandum ratus, armari quam expeditissime iubet iterque ad urbem edicit;

distributisque viritim cibariis omnique viatico, nihil sibi ad celeritatem facit reliqui, nullis interquiescens locis ac vix residere tantisper milites passus, donec a nimia itineris contentione respirarent. Ipse inter primos laborans vilique tabernaculo utens cibum potumque eundem, quem etiam ceteri milites, capiebat, nihil umquam imperatoriae luxuriae, nihil deliciarum ostentans, sic ut acceptior in dies militibus fieret. Nam cum laborum omnium non modo particeps, sed princeps etiam auctorque foret, adeo cunctis venerabilis erat, ut nihil non pro illo cupidissime facturi viderentur. Postea vero quam emensa Pannonia ipsos Italiae montes insedit, famamque sui praeveniens prius coram conspectus est quam adventare auditum fuerat, magnus scilicet omnes Italiae civitates tanto conspecto exercitu metus invasit, quippe homines in Italia iam pridem ab armis belloque remotissimi agros pacemque colebant. Etenim quamdiu libera civitas egit atque a senatu belli duces eligebantur, fuere in armis semper Italiae nationes, Graecisque et barbaris subactis terrae sibi marisque imperium pepererunt; neque ulla orbis terrarum pars aut caeli tractus fuit, quo non vires suas Romanorum arma protulerint. Postea vero quam Augustus rerum potitus est, et laborem Italis ademit et arma detraxit: milites tantum quosdam certis auctoramentis habuit mercenarios, qui Romanum tuerentur imperium; tum fluviorum magnitudine atque fossarum, montibusque asperrimis desertisque locis atque imperviis circumseptos imperii limites communivit. Quocirca merito omnes, postquam adventare Severum cum tanto milite audiverunt, insueta re perterriti, cum neque stare contra neque prohibere auderent, ibant obviam laureati portisque eum patentibus excipiebant. Ille tamdiu locis singulis immoratus, quamdiu aut sacra faceret aut populos alloqueretur, Romam e vestigio pergebat. Quae ubi Iuliano nuntiata sunt, actum de se prorsus existimavit. Nam et exercitus Illyrici potentiam multitudinemque audiebat et populo parum fidebat, cui se cernebat invisum, neque satis magnam spem in

militibus habebat, quos videlicet fefellisset. Itaque collectas undique pecunias, partim suas, partim ab amicis acceptas, tum quascunque in templis aliisque locis publice invenisset, dividere militibus instituit, ut eo pacto illorum benevolentiam redimeret. Sed ei, tametsi multa magnaque acceperant, nullam tamen habebant gratiam, persolvi debitum sibi, non dari munus aliquod interpretantes. Ceterum suadentibus amicis Iuliano, ut exercitum educeret atque Alpium angustias occuparet (sunt autem Alpes altissimi montes, porrecti ad muri formam circumdatique Italiae, quasi ad reliquam regionis eius felicitatem hunc etiam quasi cumulum natura addiderit, ut munitionem haberet inexpugnabilem, pertingentem scilicet a septentrionali ad id mare, quod ad meridiem spectat) non ausus tamen ille urbe egredi, supplicatum militibus mittebat, uti arma caperent exercerentque se ac fossas ante urbem ducerent; omnemque belli apparatum in ipsa demum urbe expediebat. Siquidem elephantos quoque, quos ad pompam institutos habebat, insuefacere conabatur sessorem pati, ratus Illyricos milites equosque eorum perterritum iri facie magnitudineque beluarum, quales antea nullas adspexissent. Totaque civitas armis fabricandis bellicisque instrumentis conficiendis erat intenta.

[Cap. 12.] Sed cunctantibus adhuc Iuliani militibus ac se comparantibus ad bellum, nuntiatur adesse iam Severus. Is multos e militibus suis sparsim dimiserat, qui clam Romam proficiscerentur; quare alii aliis itineribus noctu ingressi urbem, protectis armis habitu paganorum operiebantur. Iamque intus hostis erat, supino adhuc Iuliano et quid ageret ignaro. Quae ubi populus intellexit, cunctis metu perculsis ac Severi potentiam formidantibus, sentire iam se cum illo simulabat; et Iulianum quidem, quod imbellis, Nigrum, quod lentus atque iners, vituperantes, Severum ipsum iam adventantem magnopere admirabantur. Enimvero Iulianus, haesitabundus atque inops consilii, convocato prius senatu, litteras ad Severum mittit, quibus foedus pacisceretur eumque in communionem ac-

ciperet imperii. Ceterum senatus, etsi illa omnia decernebat, tamen ut eum pavitare desperata salute animadvertit, totus iam ad Severum incubuerat. Biduo vero post triduove, audito Severum iam plane adesse, omnes contempto Iuliano in curiam convenere iussu consulum. Qui postquam frequentes affuerunt, quid facto opus esset, inter se deliberant, manente adhuc in aula Iuliano ac fortunam suam miserante suppliciterque rogante, ut sibi eiurare imperium liceret omnemque eam potestatem Severo transscribere. Sed ubi intellexit senatus adeo pavidum Iulianum, perterritos corporis custodes, ipsum paene ab omnibus destitutum, decreta illius nece Severum solum imperatorem declarant. Tum legatos ad eum mittunt, partim qui magistratum obtinerent, partim qui maximam haberent in senatu auctoritatem, ut omnes illi honores Augustorum deferrent. Occidendi autem Iuliani datur uni e tribunis negotium. Is imbellem miserumque senem, qui sibi ipse tam infelicem exitum propria pecunia emisset, desertum iam destitutumque ab omnibus inter foedissimas complorationes trucidavit.

VII.

[Libr. III. cap. 1.] Niger vero, ubi Romam a Severo occupatam, ipsum a senatu appellatum imperatorem, nihil tale exspectans, audivit, praeterea omnem Illyricum exercitum contra se aliasque pedestres navalesque copias educi, perturbato vehementer animo monet provinciarum praesides, aditus omnes portusque custodiant, mittitque rogatum auxilia ad Parthorum, Armeniorum atque Atrenorum reges. Cui quidem Armenius neutras se partes suscepturum respondit, tantum res suas defensurum Severi adventu; Parthus autem satrapis imperaturum per epistolas, uti copias congregarent. Ita enim facere consuevit bellum comparaturus. Siquidem mercenarios milites atque ordinarios exercitus Parthi nullos habent. Ex Atrenis autem sagittarii auxiliares

venerunt, missu regis Barsemii, qui tum in eis regionibus imperitabat. Reliquas omnes copias e militibus, qui aderant, conflavit, plurimis etiam e populo maximeque Antiochenis, cum aetatis levitate, tum ipsius Nigri studio impulsis, atque audacius quam prudentius nomina dantibus. Sed et Tauri montis angustias ac praerupta loca muro valido Niger munimentisque obstruebat, ratus montem illum impervium magnum orienti propugnaculum futurum. Idem Byzantium praesidio occupavit, urbem Thraciae maximam felicissimamque, viribusque et opibus ea tempestate florentem. Quippe in angustissimo Propontidis constituta freto vectigalia piscatumque a mari accipit, simul agros possidens amplissimos uberrimosque, ex utroque velut elemento magnum lucrum facit. Visum igitur Nigro talem hanc urbem praesidiis occupare, ut classes navigiaque per eas angustias transgredi ex Europa in Asiam prohiberentur. Erat enim munita urbs valido ingentique muro, qui Milesio quadrato lapide constructus adeo tenui iunctura fuit, ut nemini compositum opus, sed ex uno tantum perpetuoque lapide videretur. Ac nunc quoque ruinas ipsas reliquiasque cum videris, mireris utique vel eorum artificium, qui primi exstruxerunt, vel horum vires, qui deinceps sunt demoliti. Ad hunc igitur modum Niger suas res comprobat, providentissimo scilicet, ut ipse putabat, tutissimoque consilio.

[Cap. 2.] Ceterum Severus, quantum maxime poterat, cum suis copiis festinare, nullum desidiae quietique locum relinquere. Cognito autem praesidiis teneri Byzantium, quod sciebat munitissimam esse urbem, ad Cyzicum se convertit. Hoc intellecto dux Asiae Aemilianus, cui summam Niger totius belli maximumque imperium tradiderat, et ipse Cyzicum proficiscitur et copias adducit universas, quascunque aut Niger miserat aut ipse contraxerat. Sed ubi ventum ad manus, aliquot acerrime editis proeliis victoria tandem penes Severum stetit, fuso fugatoque Nigri exercitu. Itaque confestim fracti orientalium animi, Illyricianis autem spes ingens addita. Neque defuere qui cre-

derent, Nigri res initio statim, proditas ab Aemiliano, labefactatas fuisse. Cuius consilii duplicem afferunt caussam, alii, Nigro invidisse, ferentem scilicet haud aequo animo, si, quem paullo ante in Syria successorem habuisset, eundem superiorem mox atque adeo imperatorem dominumque esset habiturus; alii, persuasum a liberis, patri per epistolas vitam salutemque suam commendantibus, quos Romae inventos Severus in custodia habebat; siquidem hoc quoque usus est providentissimo consilio. Mos fuerat Commodo retinere apud se liberos eorum, qui ad regendas provincias cum imperio proficiscerentur, quasi obsides quosdam benevolentiae illorum fideique. Igitur Severus, cum primum est imperator appellatus, superstite adhuc Iuliano, misit furtim, qui suos liberos ex urbe subducerent, ne in alterius essent potestate. Ceterum ipse, cum primum Romam ingressus est, comprehensos omnes ducum liberos ceterorumque item quicunque munus publicum in Oriente Asiaque tota obirent, atque in custodiam datos secum retinebat, quo per ea quasi pignora Nigri ducibus persuaderetur, uti illum desiderio salutis liberorum proderent, aut certe si in fide permansissent, liberum sibi relinquerent caede filiorum quos vellet ulcisci.

Victi autem ad Cyzicum Nigri milites quam quisque maxime poterat aufugerunt, partim praeter Armeniae montana, quidam per Asiam Galatiamque superare Taurum festinantes, ut scilicet intra munimenta se reciperent. At vero Severi exercitus Cyzicenum per agrum in Bithyniam finitimam regionem contendebat. Sed ut Severum vicisse fama divulgavit, repens confestim in eis locis seditio discordiaque urbes invasit, non tam quidem ipsorum imperatorum odio aliquo aut studio, quam aemulatione quadam et contentione invidiaque inter eiusdem gentis homines funestissima. Antiquum id vitium Graecorum, qui dum seditiones agitant atque eminentissimum quemque tollere e medio conantur, totam iam consumpsere Graeciam. Ceterum illi quidem inveterati iam attritique inter se, captivi

prius Macedonum, dein mancipia quoque Romanorum facti sunt. Ea vero labes aemulationis atque invidiae florentibus etiamnum aetatis nostrae civitatibus incubuit. Igitur in Bithynia statim post res ad Cyzicum gestas Nicomedenses ad Severum defecerunt, missis legationibus, quae se exercitum accepturos omniaque tradituros pollicerentur. Nicaeenses contra, illorum instigati odio, Nigri partibus studebant eiusque suscipiebant milites, sive qui se ex fuga receperant, sive qui ad tuendam Bithyniam mitterentur. Quocirca ex utrisque urbibus quasi e castris egressi milites iterum concurrerunt, magnoque commisso proelio longe superior Severus fuit. Inde etiam fuga facta Nigri milites, qui proelio superfuerunt, ad Tauri montis angustias evaserant clausasque munitiones tuebantur.

[Cap. 4.] His nuntiatis Niger, cum quidem ingentem exercitum, sed pugnae laborumque inscium collegisset, magnis itineribus accelerabat, quam plurimis eum mortalibus omnique ferme Antiochenorum iuventute sequentibus ducem, multa scilicet animorum alacritate, ceterum virtute ac peritia belli nulla ex parte cum Illyrico milite conferendis. Ita concurrerunt ad Issicum quem appellant sinum, longe lateque spatiosissima in planitie, quae perpetuis subiecta collibus in theatri speciem, quasi quoddam belli stadium fabricata natura. Quin eodem quoque loco Darium ab Alexandro ferunt maximo extremoque illo proelio profligatum captumque, septentrionalibus etiam tum viris orientis nationes superantibus. Manet adhuc tropaeum et tantae victoriae testimonium urbs in colle, Alexandria, simul aëneum ipsius simulacrum, unde loco impositum nomen. Evenit autem, ut Severi ac Nigri exercituum non congressus modo in eum locum, sed fortuna etiam fortunae similis fuerit. Utrinque enim sub vesperam parati ad pugnam constiterant, curis dein pavoribusque totam noctem extraxerant insomnem statimque cum solis ortu, ducibus utrinque adhortantibus, incredibili alacritate utrinque se incitarunt, tamquam de omni spe reliqua novissimo illo congressu dimicaturi, dis-

ceptante illic super Romano imperatore futura. Sed ubi diu pugnatum acerrime tantaque edita utrinque strages, ut flumina per eam planitiem decurrentia maiore aliquanto vi sanguinis quam aquarum in mare se volverent, fusi tandem profligatique orientales, imminentibus a tergo Illyricianis, partim in mare saucii protrudebantur, partim in colles summos fugitantes a persequentibus obtruncabantur; cumque iis una vulgus ingens hominum, qui ex urbibus vicinis agrisque confluxerant, superne quasique ex tuto loco proelium spectaturi. At Niger valido vectus equo, paucis comitantibus, Antiochiam pervenit, ubi fugiente passim multitudine magnoque ubique fletu clamoribusque natos fratresque lugentium, deploratis et ipse rebus suis fugam capit, occultantique dein se in suburbano quodam et ab equitibus reperto caput amputatum. Hunc habuit exitum vitae Niger, dato cunctationis tarditatisque supplicio, homo alioqui, ut perhibent, publice privatimque minime improbus.

VIII.

De stultitia et crudelitate Caracallae a. 214. et 215. p. Chr. n.

(Libr. IV. c. 8.)

Inde a Pergamo Ilium se contulit, et cunctis urbis reliquiis collustratis ad Achillis tumulum processit, eoque coronis floribusque magnifice exornato rursus imitari Achillem coepit. Sed eo Patroclum desiderante aliquem, libertorum omnium carissimus Festus, a memoria, dum ad Ilium moratur, vita defunctus est, veneno, ut quidam aiebant, exstinctus, quo scilicet Patrocli more sepeliretur, ut alii affirmant, morbo interceptus. Huius igitur cadaver efferri iussit compluribusque lignis rogum strui. Dein imposito in medium mactatisque omne genus animalibus, subiecit ignem, phialamque manu tenens vinumque libans ventos

precabatur. Cumque esset raro capillo et crinem quaereret, ut imponeret ignibus, deridiculo erat omnibus; ceterum quos habuit capillos, tamen totondit.

Decedens autem Ilio Asiaque omni et Bithynia gentibusque reliquis pertransitis, atque ubique rebus compositis, devenit Antiochiam, ibique exceptus honorificentissime atque aliquamdiu moratus Alexandriam contendit, praetexens huic itineri desiderium visendae urbis ab Alexandro constructae, simul consulendi patrii illorum numinis, quod egregie incolae venerantur. Ac simulans haec duo, inprimis religionem dei et herois memoriam, iubet hecatombas comparari ac parentationes omne genus. Quod ut primum est Alexandrinae multitudini nuntiatum, levissimae suapte natura et omnibus momentis expositae, studium benevolentiamque principis omnes quasi animorum impotes accipiebant. Igitur ad excipiendum illum se comparabant, quanto numquam antea honore ullum imperatorem excipere consueverant; quippe omnifariam musica instrumenta disposita ubique varium edebant sonitum, praeterea aromatum ac suffimentorum vapor omne genus aditus cunctos optimis replebat odoribus, taedis praeterea et florum sparsionibus imperatorem honorabant. Sed ubi in urbem iam pervenit, primo quidem templum ingressus est multisque victimis immolatis ac thure cumulatis altaribus ad Alexandri monimentum se contulit, paludamentumque purpureum et claris speciosisque gemmis annulos conspicuos balteumque et si qua alia gestabat elegantiora, demta sibi, tum illius imposuit tumulo.

[Cap. 9.] Haec cernentes Alexandrini, laeti supra modum, noctibus totis ac diebus festum celebrabant, ignari quid intra ulceratum pectus imperator occuleret. Haec enim omnia per simulationem faciebat, ut universam illorum multitudinem contrucidaret. Latentis odii caussa talis erat. Nuntiatum ei fuerat Romae agenti, vivo adhuc fratre, atque item post exstincto, multa in ipsum dicere Alexandrinos. Sunt enim homines suapte natura dicaces atque ad describendum illudendumque maxime facti, iactantes in optimum

quemque et potentissimum dicteria quaedam, ut quidem ipsi putant, festiva, ut autem videntur iis, in quos dicuntur, longe gravissima; quippe huiuscemodi iocorum vel maxime illa permovent, quibus delicti veritas arguitur. Quare cum multa in eum dixissent, ne dissimulata quidem fraterna caede, matremque etiam Iocastam vulgo appellarent irriderentque ipsum, quod tantulae homo staturae Alexandrum atque Achillem, maximos atque fortissimos heroas, aemularetur, dum ludere se putant, eo impulerunt Antoninum, hominem suapte natura iracundum atque valde sanguinarium, ut perniciem illis insidiasque moliretur. Igitur celebritate ac festo iam una cum illis peracto, cum videret maximam hominum multitudinem ex vicinis regionibus confluxisse in urbem, monuit edicto, ut in planitiem quandam iuventus universa conveniret, velle affirmans, sicuti Macedonicam Spartanamque habebat, ita etiam in Alexandri honorem, ipsius herois cognomento, phalangem constituere. Iubet igitur consistere iuvenes universos, relicto intervallo, ut singulorum aetatem staturamque et corporis habitudinem militiae idoneam consideraret. His creditis iuvenes omnes ac verisimili spe ducti, ob insignem honorem paullo ante exhibitum principi, conveniunt frequentes una cum parentibus atque germanis, laetis gratulantibusque eorum spei. At vero Antoninus singulos inter se distantes circumiens contrectansque et aliud in alio laudans praeteribat, donec illos, neque id animadvertentes neque exspectantes, universus circumveniret exercitus. Ut vero coniecturam fecit, iam esse omnes militum suorum armis inclusos quasique retibus implicitos, ipse statim cum suo praesidio excessit ac signum militibus dedit, qui statim facto undique impetu deprehensam in medio inermem iuventutem ceterosque qui aderant, magna caede contrucidant. Atque e militibus alii caedem tantum faciebant, alii foveis ingentibus cadavera obruebant aggestaque desuper humo immanem tumulum excitarunt. Multi etiam in eas foveas semivivi protrahebantur, multi adhuc integri detrudebantur. Sed et milites nonnulli simul

perierunt. Nam qui reliquias adhuc aliquas spiritus retinebant neque penitus defecti erant viribus, impliciti proruentibus se militibus, eos quoque secum trahebant in foveam. Tanta est autem facta caedes, ut rivis cruoris per planitiem decurrentibus cum fauces ipsae Nili ingentes tum litus omne circa urbem purpurasceret.

Petrus Bembus 1470—1547.

IX.

Petrus Bembus Bernardo Bembo patri S. P. D. Venetias.

(P. Bembi epist. famil.)

Messanam venimus ad IV. Non. Mai., navigatione usi perincommoda, quod viae, cum discedens a te pedibus me facturum putarem, mutavi consilium, cum essem Neapoli, propter hospitiorum infrequentiam, tum ipsa hospitia ab omnibus rebus imparatissima. Itaque naviculam nacti decimo die Siciliam tetigimus nauseantes. Sed abstersit nobis omnem molestiam Constantini Lascaris humanissima congressio, qui nos excepit libentissime et liberaliter est pollicitus idque re praestat. Erudimur enim mira ipsius diligentia, tum amore prope paterno. Omnino nihil illo sene humanius, nihil sanctius. Reliqua etiam omnia satis ex sententia. Urbs praeclaro loco posita ad mare, portu amplo atque tutissimo; aëris mira temperies; annona rerum ad victum omnium cum vilis tum luculenta, quae tibi nota esse volui, ut confideres, nos hic etiam cum voluptate futuros. Helenae matri meae multam salutem, et Carolo fratri

et Antoniae sorori. Vale, mi pater optime atque optatissime. III. Kal. Iun. MCCCCXCII.

Lazarus Bonamicus 1482—1552.

X.

Lazarus Bonamicus instauratoribus Patavini gymnasii S. P. D.

(Epist. claror. viror. ed. Colon. p. 21. Aldin. fol. 16.)

Laurentii Falerii praetoris iussu hodie cum essem accersitus, recitatae mihi sunt litterae vestrae; deinde gravis et vehemens illius cohortatio subsecuta est, ut munus interpretandi persequerer. Quibus omnibus sic movebar, ut eodem tempore illius voluntas et contentio, vestra auctoritas, reipublicae Venetae maiestas mihi occurrerent. Accedebat ad haec naturalis quaedam propensio atque affectio in haec loca, ubi natus, ubi educatus, ubi magna ex parte institutus essem. Quam ob causam Patavinam academiam tamquam portum mihi delegeram, in quo, quod reliquum mihi vitae est, conquiescerem. Sed in hoc meo tamen tanto gaudio erga vos nomenque ipsum Venetum respondi praetori, quae dignitas mea, quae aequitas, quae ratio litterarum, quas profitemur, cogebant respondere. Atque illa initia breviter attigi, ut a Laurentio Bragadeno aliisque nonnullis saepe rogatus hanc desertam et prope depositam provinciam susceperim, ut biennio confecto amplissima cum dignitate a Bononiensibus XL virorum cunctis suffragiis, enitentibus omnium nationum scholasticis, conductus, Gaspare Conta-

reno, singulari viro et praestantissimo cive, ad collegium senatumque referente, ne dimidio quidem stipendii Bononiae mihi propositi, Patavii retentus fuerim. De Clemente VII. adiunxi, pontifice maximo, quem dux amplissimus, omni virtute ornatissimus, immortalitate dignissimus, Andreas Gritius, mei incredibili desiderio ardere cognovit, cum per Hieronymum Alexandrum tum legatum egit, ut mihi per vos liceret Romam ire et meam, quantulacunque est, sibi operam dare. Summi me beneficii tantus ac tam divinus princeps sempiterna memoria obligavit, cum respondit, Venetam rem publicam suorum hominum, qualis ego essem, opera uti malle, quam aliis quibuscunque concedere. Commemoravi proventum HS XXXVI M. et amplius, hoc est octingentorum Pannonicorum nummum, mihi delatum, ut essem in comitatu regis Ferdinandi, et magno animo sine ulla cunctatione repudiatum. Quibus rebus videbar declarasse, quanti rempublicam vestram otiumque litterarum fecerim, modo cum dignitate in eo esse possem.

Sed, an possem, iubebam illum etiam atque etiam considerare. Quod idem ut faciatis, vehementer a vobis peto, clarissimi atque optimi viri. Biennio iam provinciam, quam iudicio senatus gerebam, ex consuetudine aliorum renunciaram, non arroganter, ut multi, sed pro pudore ac modestia mea proque ea reverentia, quam vestris magistratibus adhibendam semper putavi. Adii eos, qui in eodem magistratu ante vos fuerunt; aperui animum meum; rationes omnes vel officii mei, vel illorum aequitatis explicavi; omnia in unum caput conieci, cum dicerem aut esse unde stipendium aliis augeretur, aut deesse; si deesset, meam me in omni fortuna voluntatem ad suam accommodaturum et eodem contentum stipendio futurum quoad viverem; sin esset, me non videre, quo modo aut illi iusti esse possent, si in pari industria ac labore, ne dicam multo maiore aliis accessio stipendii atque honoris fieret; aut ego vir bonus, si cum aeque atque alii Patavinae vestrae academiae utilis esse nequirem, alteri non libenter cederem, qui existimatio-

nem assequeretur et gratia apud vos florentium et auctoritate. Ab eo sermone ita discessi, ut singulo quoque anno integrum mihi esset operare aliquid, nec deteriore conditione esse quam alii, qui vobis honestissime servirent. Nam et vobis potestas erat alterum substituendi, si quis forte magis probaretur, et mihi accipiendae conditionis, si qua uberior atque honestior oblata esset. Quod tamen non feci ac ne cogitavi quidem, cum possem vel maxime; in quo stultitiae fui accusatus a nonnullis. Ego vero non stultum sed bonum virum esse arbitror, qui fide ac pietate suos principes amplectatur multoque plus his tribuat quam ceteris. A quibus tamen si se videat contemni aliosque quosvis sibi anteferri, eiusdem ignoscerem iustissimo dolori, si, cum ab illis desereretur, se ipse non desereret et in omni vita virtutem sequeretur et decus.

Hic velim vos, qui ex omni senatu academiae constituendae causa delecti estis selectissimi viri, iudicare, cuiusmodi fuerit ius postulationis meae, quale testimonium egregiae meae in rempublicam Venetam voluntatis. Omitto, feriantibus aliis, interpretationes saepe meas. Non iacto duarum et amplius horarum quotidianum prope laborem meum, qui a me uno suscipitur, praeterea nemine. Alia non praedico, quae possem. Quid autem per vos a senatu decretum sit, discrucior, cum recordor. Aliis stipendii honor habitus: non reprehendo; commeriti sunt. Mihi non est habitus: feremus et hoc aequo animo; esse enim audio, qui mirentur aut querantur potius tantum huic generi litterarum tributum esse; qui iudicio fortasse, non voluntate, falluntur. De me nihil dico; neque enim est quod dicam; et si esset, non dicerem. Satis mihi sit quodcunque opinionis est de me, diuturnis vigiliis multoque sudore collectum. De ipso genere studiorum loquor, de quibus me nonnunquam cogitantem subit tacita quaedam temporum miseratio. Queruntturne tantum tribui eloquentiae studiis? per quam populi Romani atque omnium gentium nomen exstat atque illustratum est, qua omnis magna atque ampla respublica recte et ordine

administrata est, Rhodiorum, Atheniensium, Romanorum. Huius lumine ac splendore cunctae artes et disciplinae et lucent ipsae per se et ad communis vitae usum transferuntur; per hanc leges latae, abrogatae aliae, aliae antiquatae sunt. Bella e republica suscepta, pax facta, foedera icta, optima quaeque constituta. Quod si hoc superiorique tempore suus honor ei tributus non est, fuerit vel iniquitas haec vel caecitas temporum; apud veteres certe in illa ingeniorum eruditionisque felicitate tribuebatur et hoc studium ceteris studiis anteponebatur.

At nemo ante te eodem pretio conductus fuit. Quid nihil novi instituendum, nihil corrigendum etiam veteri consuetudine usurpatum? Semper temporum ratio consilia prudentum gubernavit. Hispanus philosophus quanto praemio accitus est Patavium a vobis? multo maiore quidem, quam alii ante se. Si nemo ante me tantum praemii est consecutus, nemini ante me duplex interpretandi onus impositum est. Bononiae unius lectionis professori tantundem fere mercedis persolvitur. Florentiae, in tanta tenuitate atque oppressione civitatis, quantum decretum sit hoc anno his studiis non ignoramus. Venetiis vero, in tanta dignitate atque amplitudine imperii, quis erit qui se ab illis laude vinci patiatur?

Sed sit, ut quisque velit et iudicat de hoc genere studiorum. In petitione honoris omnes mihi praeferri aequo, ut dixi, patiamur animo; tempus certe, quod liberum hactenus mihi fuit, relinquatur. Quod cum ex illo senatus consulto, quod vobis referentibus proxime factum est, concessum non sit, quid aliud fuit, quam hoc toto triennio rationem sperandi aliquid a vobis mihi adimere et omnes quasi nervos industriae cum dedecore atque ignominia praecidere? Vos non accuso; fortunam meam incuso, negligentiam condemno. Sed tamen sine voluntate mea nec fieri debuit illud, nec potuit. Itaque illud decretum senatus tanquam ratum non agnosco; rescindo, antiquatum volo; in quo non solum voluntas mea non adfuit, sed etiam repugnavit.

Vestrae tamen, ornatissimi viri, senatusque auctoritati

et imperii Veneti maiestati hoc dabo, ut sponte, non aliquo decreto conditioneve alia vestra obligatus, sed omni vinculo solutus, honoris tantum atque amplitudinis reipublicae vestrae causa, quo possum studio et labore, academiae vestrae succurram, vestramque voluntatem non solum meae sed honori etiam meo anteponam. Vestrum erit pro pudentia et bonitate vestra statuere, quo modo decreto senatus non tenear; deque eo aliquid ad me scribere, quo et meam hanc voluntatem vobis gratam esse intelligam, et sperare posthac possim magnae vobis curae fore honorem meum, quem vobis magnopere commendo et trado. Patavii VII. idus Novembr. MDXXXVIII.

Christophorus Longolius 1488—1522.

XI.

Chr. Longolius Simoni Villanovano S.

(Chr. Longolii Epist. libri IV. Bas. 1562. libr. II. ep. 16.)

Pergratae mihi fuissent tuae litterae, si, quam nobis luculente ingenii tui elegantiam expresserunt, tam iucundum de vitae tuae rationibus nuntium attulissent. Sed id et antiquum est et haud scio an etiam fato litterarum quodam comparatum, ut, quo quis ingenuas artes complectatur studiosius, hoc fortunae fluctibus iactetur acerbius. Haec enim, ne forte nescias, mihi tecum est communis querela. Nam etsi ipse nulla insigni, ut nunc quidem est, rei familiaris inopia premor, illud tamen eiusdem fortunae iniuria commissum esse video, ut ea sit rerum mearum tenuitas atque angustia, ut tibi ista spe, ista probitate adolescenti auxilium

meum imploranti, non dico non opitulari, quod ipsum per se miserum est, sed vix benigne quidquam polliceri possim. Ego enim, quod te satis intelligere existimo, pari litterarum studio incensus et afflictus procul a patria vitam ago, non meis iam aut, quod par erat, meorum, sed plane alienis opibus casus meos sustentans. Verum quando nemini uni omnia deus concessit, nec ego quidquam otio nostro esse ducam vel iucundius vel honestius, facile patior apud ceteros plus opum residere. Mihi certe numquam in mentem venit, istorum cuiquam invidere, quorum abs te insolentiam et iactationem ferri posse negas. Idem ipse de te censeo statuas, nec te inanibus istis curis conficias. Parvo tibi ad tuenda studia tua sumptu opus est. Is autem nusquam homini studioso et frugi deesse potest.

Sed ad epistolam tuam, in qua quod te mihi de litterarum tuarum silentio tam multis verbis purgares, nihil sane necesse fuit. Quam enim ipse mihi in eo scribendi genere legem dixi, hanc ceteris quoque omnibus dictam velim, ut tum denique litteris, cum id vel nostra vel amicorum intersit, utamur. Reliqua epistolarum genera, etsi me non parum delectant, praesertim quas homo neque stultus neque infans conscripserit, ea tamen ab amicis non magnopere exquiro, quorum officium ad mutuam animorum voluntatem, non ad inania haec studia semper referendum esse iudicavi. Sic igitur facies, et per me quidem tacebis, cum voles et quamdiu voles, ita tamen, ut mihi litterarum tuarum sermo cessatione gratior sit futurus, sed ea, ut dixi, conditione, ne tu in eo parem a me vel gratiam exspectes vel diligentiam. Vix enim credas, quam mihi in tanto otio scribundis litteris parum vacet. Quod porro te nobiscum vivere velle ostendis, id est mihi quidem gratissimum, sed quid te ea in re iuvare possim hoc tempore, non plane video. Persequar tamen vias omnes, ut mihi consuetudinem tuam in optatis maxime fuisse aliquando intelligas, quamquam id te iam intellexisse litterae tuae significabant, et certe ita est. Amavi te quo primum die cognovi, spectavi-

que ex eo tempore semper, quemadmodum nobis de studiorum nostrorum rationibus commentari saepius liceret. Verum nescius, quid tu ea in re animi haberes, curavi id scilicet adhuc lentius, quam animorum nostrorum coniunctio postulare videatur.

Nunc etsi mihi consiliorum tuorum rationes significasti magis quam explicasti, tamen videbimus diligenter aliquid, in quo sit tum certa tuendi otii tui fides, hoc enim mecum agere videris, tum eius, quam mihi tecum intercedere velim consuetudinis explorata facultas. Tu fac interim animo sis magno nec quidquam esse putes tanti, quod studiorum tuorum iter interrumpat. Quae nunc iacet afflicta, emerget, mihi crede, aliquando virtus. Vale. Ex urbe Patavio IX. Cal. Iun.

Scripta iam diu epistola, nec eo data, quod cui recte committeretur non esset, accepi alteras abs te litteras, multo miserabilius quidem et tristius quam superiores, sed in eandem tamen rationem conscriptas. Itaque hic mihi tantum admonendus es, ne te aegritudini dedas, quae nec rationibus tuis quidquam profutura est et studiis tuis multum etiam obfutura. Sed nec tamen acerbus iste, quem impendere ostendis, casus videri potest, ut cum eo tibi omnem libertatis et dignitatis spem abiiciendam esse existimes. Iam primum ea servitus, si quidem servitus dicenda est, alios mercede docere, tibi cum omnibus fere tui ordinis hominibus communis futura est. Deinde, si sapis nec ipse te nunc proiicis, uberes etiam inde fructus percipies. Denique non tam iustas abs te quemquam suis musis operas exacturum puto, quin cum tuis rationem habere liceat, si non quatenus cupias, certe quantum homini, qui et meditationis bono uti norit et in rectam disciplinae viam iam olim ingressus sit, sufficiat. Postremo velim te mihi hominem esse memineris, qui iam pridem, non cum natura tua, quae quidem tibi contigit optima, sed cum fortuna, quae tamen omnino non sit pessima, luctari coeperis. Id si diligenter feceris, nec spe fueris nulla, et ista qualiacunque sunt, humaniter tuleris.

Agerem his de rebus tecum et certius et subtilius, si, quibus conditionibus invitere et quo ipse sis statu, mihi aperte exposuisses. Nunc in rerum omnium ignoratione summa, ad quidnam potissimum litteras meas accomodem aut quid tibi consilii dem, non plane habeo. Sit tamen id caput, serviendum tibi esse tempori. Ego enim ne diu servias, perficiam; operam quidem certe ac studium meum omne in eo tibi quam diligentissime navabo. Extremum illud erit, quod, etsi minimum praesidii affert, est tamen omnium certissimum. Persuade tibi in re familiari mea esse nihil, quod tibi non commune mecum esse velim. Iterum vale. IV. Non. Iun.

Paulus Manutius 1511—1574.

XII.

Paulus Manutius, Aldi filius, Ioanni Cratoni S. D. Viennam.

(Apud Morhof. polyhist. Libr. I. c. 25. ed. Fabric. T. I. p. 317. et inter Manutii epist. ed. Krause in append. 3.)

Nihil minus placet, quam ut nulla proposita re, nulla certa sententia ad te scribam. Occurrit enim mihi tua dignitas, occurrit auctoritas, cogito, quam tibi personam tua virtus imponat, quae te premant onera, quae negotia distrahant. Nimirum cum tuae scientiae tuoque consilio salus et incolumitas commissa sit eius imperatoris, qui multa regna, multas provincias imperio, omnes virtutes animo complectitur, gravissimam Christianae rei publicae partem sustines. Cur igitur ita sim ineptus atque adeo tam adversus communibus commodis, ut inani te litterarum genere inter-

pellem, et quem salutares illae curae detinent fixae et locatae pro publica maiestate tuenda, ad privatae rei cogitationem ac studium vocem? Verumtamen, quia nec res ipsa, ut ego interpretor, privatim ad me unum pertinet, sed aliqua ex parte cum publica utilitate coniungitur, et ex tuis litteris velle te mea caussa multum, ex omnium sermone posse plurimum intelligo, male prorsus mereri videar de studiis meis ac de me ipso, nisi opportunitatem istam nactus amoris officiique tui agam tecum de statu meo, quantum res ipsa postulat et quantum mihi per humanitatem tuam licet, per quam licere video plurimum.

Etsi enim iaceo, nec recenti nec levi, sed inveterato iam difficilique morbo, tamen si tu, tantus vir, ad me erigendum ac recreandum accingeris, si istam scientiam, istam artem adhibes, quae saepe bonis viris in calamitate opem ac salutem attulit, cur dubitem, quin voluntatem atque industriam meam felicitas illa, utrique nostrum pariter exoptata, consequatur? Quod si secus acciderit, suum tamen humanitas tua fructum non amittet: ego enim, quod volueris conatusque sis, in tua laude ponam, quod non perfeceris, ad meam fortasse culpam vel, ut aequius de me ipso sentiam, ad meam certe fortunam transferam. Nam et praeclarus artifex perfectam animo speciem intuens opus tamen imperfectum subiectae materiae vitio relinquit. Nec tamen is ego sum, cuius animum immoderata quaedam opum bonorumve cupiditas angat. Habeo magnam gratiam naturae meae, quae me ad hanc insaniam numquam impulit, maiorem etiam iis viris, quorum praeceptis eruditus ad hanc diem ita vixi itaque posthac, ut spero, vivam, ut neque summa cupiam, nec summa adeptis invideam. Sed quia virtus, licet a se ipsa pendeat, externa tamen quaedam non recusat, propterea mediocritatem earum rerum, quae fortunae bona quidam vocant, numquam contempsi, elaboravi etiam, ut consequerer; et plane me consecutum credidi, cum decem abhinc annis Romam veni. Quis enim aliter crederet, cum a Pontifice maximo vocarer, cum hic vigere diceren-

tur ac semper antea viguissent artes illae, quibus ab ineunte aetate meum studium dederam; cum ipsum denique nomen urbis Romae nihil tenue, nihil angustum, sed ampla et magna polliceri omnia videretur?

Hoc loco non faciam, ut aut de meis ipse meritis detraham, quod certe non debeo, non enim commisi, ut meam in re mandata diligentiam, operam, fidem requirere quisquam iure possit; aut alios carpam, quod ab institutis meis longissime distat. Tantum dicam, et id ipsum invitus: nescio, quo fato mihi fontes aruisse, qui profluere solebant, benignitatem, quae antea patebat, ita clausam in me esse, non modo ut nihil eiusmodi, in quo vel copia vel splendor inesset, sed ne mediocritas illa quidem, quae repellit incommoda, quae honestatem ex parte saltem aliqua tuetur, mihi adhuc obtigerit.

Ac vide tamen aequitatem animi mei: rei domesticae iacturam, quaecunque est, facile fero; libenter dissimulo, do operam, ut obliviscar; quod antiquam colere frugalitatem, quod illam parvo contentam, omnium laudandarum artium parentem altricemque disciplinam retinere cogor, non irascor, et hanc ipsam fore crederem liberis meis non contemnendam hereditatem. At multa desunt. Ego deesse mihi quidquam nego, abesse multa confiteor, quae tamen ipsa, ni fallor, eiusmodi sunt, ut, si large suppetant, nihilo fiam melior, si absint penitus, aut si minima sint, sicuti sunt, nihilo deterior. Ergo quod ad hanc iacturam attinet, tranquillo satis animo sum. Illa me dies noctesque vexat, illa mihi penitus insidet haeretque cura, quod, si quem studia mea fructum ferre, si quid posteris industria mea prodesse poterit, id periisse totum ac perire quotidie magis intelligo. Haec sunt mea detrimenta, optime Crato, atque utinam mea tantum essent, ferrem facilius et quoquo modo quasi foverem ac mollirem dolores meos. Nunc quod publico tamdiu commodo defuerim, quod iacere studia mea per annos decem, quod ingenium languere sim passus, quod denique fundamentis adolescentiae praeclare iactis aetas gravior exspecta-

tioni non responderit, id cum recordor, paene totus ipse mihi displiceo, et quamquam culpa vacem, me tamen culpa non libero, sed quasi communis caussae desertorem accuso. Una relinquitur in amore tuo consolatio, et si nihil praestares aliud, hoc ipso tamen consolaris, quod aegritudini meae sociam se adiungat aegritudo tua, et, dum tu aeque doles atque ego, id efficis, ut ego non aeque doleam atque soleo.

Sed illa pars litterarum tuarum, in qua de Maximiliani imperatoris admodum propensa ad liberales disciplinas voluntate significas et addis, opem ab eo si petam, fore, ne frustra petam, ea vero pars animo meo tamquam labanti quiddam, quo consisteret, instillavit. Aliis alia cara sunt, non eodem sensu, non eodem omnes ingenio natura finxit: ego quarum rerum illecebris capiuntur multi, ita pleraque non amo, ut averser penitus ac fugiam. Litteris pascor, his voluptatem nullam praefero ac ne confero quidem; harum consuetudine nihil suavius experior, nihil dulcius. Et quemadmodum, si solem e mundo deus auferat, statim in hoc orbis terrae communi domicilio summus horror, summa sequatur incommoditas, sic adempto mihi litterarum usu, plena tenebris omnia, plena molestiis, otium iniucundum, negotium perdifficile videtur. O mi Crato, o mi, inquam, suavissime Crato (iam enim audeo tua fretus facilitate familiariter ac plane blande tecum agere) tune is es, qui mihi me ipsum longo intervallo restituas? qui has aliquando tenebras tuo lumine expellas? cuius munere excolantur et rursus florere incipiant studia mea? Confer huc, obsecro, opes tuas, quas intelligo esse maximas, ingenii, prudentiae, auctoritatis. Digna prorsus tuis officiis, digna tuo patrocinio caussa est; nam si pro litteris agitur, cur humilis et obscura videatur? si apud imperatorem sapientissimum, verae solidaeque gloriae cupidum, cur difficilis aut dubia? Merces autem recte factorum nulla praestantior aut uberior, quam ut usuram vitae quam brevissimam aeterna nominis memoria compenset, posterisque tradita litterarum beneficio pul-

cherrimae virtutis effigies amorem conciliet, laudandi voluntatem commoveat, imitandi studium excitet. Praeclarum ducitur quam plurimis imperare mortalibus, gentes nationesque subigere, dare leges, iura praescribere. Haec magna videntur et expetenda inprimis; sed haec ipsa saepe motus temporum labefactat, saepe vis hominum convellit, saepe ad alienam fortuna potestatem transfert. Urbes et oppida intereunt, vestigia vix apparent, nomina simul interire et cum adspectu memoriam quoque tolli, scriptorum virtus et industria non est passa. Decet igitur, cum tu Maximilianum vehementer ames, cum illius gloriae maxime servias, id curare te inprimis, quod et maximum est amoris argumentum et ad eius gloriam maxime pertinet. Bonis enim viris, quorum excludi numero me non arbitror, et ita doctrinarum in studio versantibus, non ut sibi tantum vivant, privata delectatione contenti, sed ut ingenii monimenta relinquere et posteritati patere suam industriam velint, quae mihi semper studiorum ratio probata vehementer est; iis tu si otium das et, qua vales apud imperatorem gratia, conficias, vide, quot bona consequantur. Ipsum imperatorem ornabis immortali gloria, probitati et virtuti amissam prope dignitatem restitues, frueris tu quoque magna laude, quamquam te quidem hoc spectare non oportet (ad eam enim laudem, quam adeptus iam es, propemodum accedere nihil potest) sed tamen frueris eorum amore et observantia, quos tibi tua merita, tua benignitas adiunxerit. Equidem, si hoc per te assequar, ut ex turbulento negotii genere emersus ad tranquillitatem perveniam et quod reliquum vitae contigerit, in optato litterarum portu, interpellatore nullo, vacuus omni cura degam, nulla res erit tanta, quam non et me tibi debere confitear et libenter tua caussa suscipiam. Istam quidem virtutem, quae me a molestissimis occupationibus ad suavissimam quietem et aptissima naturae meae studia traduxerit, feram in oculis assidue, colam animo semper, fortasse etiam futuris gentibus ignotam esse non sinam. Vale. Romae. Id. Iun. MDLXX.

Marcus Antonius Muretus 1526—1585.

A.

EPISTOLAE.*)

XIII.

M. Antonius Muretus Alexandro Ripario S. P. D.

(Opp. T. II. Epp. I, 58. ed. Frotscher.)

Dulces litterae tuae, ut omnia quae a te proficiscuntur, etsi in eis multa peccaveras. Sed ut filioli balbutientes libenter audiuntur a patribus, suntque eorum etiam ipsi errores voluptati: sic mihi ista tua in litteris infantia iucundissima est. Eas ipsas ad te remitto mea manu emendatas; scis enim ita inter nos convenisse. Tu, mi Alexander dulcissime ac suavissime, sequere magno animo eam viam, ad quam et tua te natura fert et ego tibi hortator atque impulsor fui. Magnam de te spem meo testimonio apud parentes tuos concitavi; quae ne et eos et me fallat, omni tibi cura ac studio providendum est. Vale. Nonis Iulii. Tibure. MDLXX.

---

*) Mureti Opera omnia, ex Mss. aucta et emendata cum brevi annotatione Davidis Ruhnkenii, prodierunt Lugduni Batavorum, apud Samuel. et Iohannem Luchtmans, 1789. Tomi IV. 8 mai. — Mureti Opera omnia, ex Mss. aucta et emendata, cum brevi annotatione Davidis Ruhnkenii. Studiose ab se recognita, emendata, aucta selectisque aliorum et suis adnotationibus instructa accurate ed. Car. H. Frotscher et G. Aenoth Koch. Acced. indices copiosissimi. III Voll. Lips. 1834—51. Hanc editionem maxima ex parte nos secuti sumus.

XIV.

Eidem Ripario.

(Epp. I, 59.)

Ne priores litterae tuae ad te pervenirent, Caroli incuria factum erat, cuius tu quoque negligentiam nosti. Nunc una cum his meis utrasque tuas accipies simulque hoc intelliges (quod tibi gratuleris) posteriores multo meliores esse prioribus, ut, si ad istum modum pergas, magna mihi spes sit, te praeclare responsurum exspectationi meae. Vide igitur, si me amas, quod et facis et facere certe debes, ut omnibus aliis rebus neglectis, quantum quidem valetudinis ratio patietur, urgeas studia tua; multa legas, multa ediscas, multa audias, frequenter cum iis versere, quorum familiaritate ac consuetudine melior ac doctior fieri potes. Fac cogites, gravissimam esse iacturam temporis; praecipue autem ista aetate, qua tu nunc es, hora nulla tibi perire sine magno dispendio potest. Saluta mihi praeceptorem tuum, cui meas ad te litteras ostendas licet. Eas quidem, quas tu ad me missurus es, nemini prorsus ostendi volo; eas enim mihi gratiores faciunt ipsi errores tui. Vale, mi dulcissime Alexander. IV. Id. Iulii. MDLXX. Tibure.

XV.

Eidem Ripario.

(Opp. T. II. Auctar. ep. 3.)

Litterae tuae posteriores quaeque meliores. De ratione autem studiorum tuorum velim aliquid ad me scribas; quantum legas quotidie; num quid excerpas ex iis scriptoribus quos legis; num quid e Latino sermone in vulgarem convertas, aut contra. Terentium et Cyri paediam noli inter-

mittere. Caesaris commentarios velim etiam legere incipias, ne pecunia illa tibi perierit. Confide, mi Alexander, et quemadmodum te mihi facturum polliceris, effice, ut re ipsa ostendas ac patefacias, te incensum esse amore litterarum. Omnia tibi affatim suppetent, si diligentia non deerit; in ea sunt omnia. Isocratis iunioris dictum est: *ἐὰν ἦς φιλομαθής, ἔσῃ πολυμαθής.* Hoc tu tibi quasi ex oraculo dictum puta. Vale. Tibure. III. Id. Iul. MDLXX.

XVI.

Eidem Ripario.

(Opp. T. II. Auctar. ep. 4.)

Binas litteras tuas una cum his accipies, alteras Latino, alteras eo quo vulgo utimur sermone scriptas. In Latinis nihil habui, quod emendarem; quae res mihi summae voluptati fuit. Quare et tuas et meas omnes eodem in libro describito. Erit tibi olim iucundum considerare progressus tuos. Alexander mi, vale et perge ea qua coepisti diligentia in studiis versari. Nihil facere aut mihi iucundius aut tibi utilius potes. Tibure. Idibus Iulii MDLXX.

XVII.

Eidem Ripario.

(Epp. I, 60 et Auctar. ep. 1.)

Perge, ut facis, mi Alexander, amare litteras, eis te oblectare, in eis omnia et seria et ioca tua collocare. Non magnus labor magno tibi olim honori futurus est. Ista via, quam tu nunc ingrederis, multi humili et obscuro loco orti ad amplissimas dignitates pervenerunt. Atque etiamsi nulla eiusmodi praemia litteris proposita essent, ipsa tamen

doctrina amanda est per se, neque quidquam in homine ingenuo turpius est ignoratione earum rerum, quarum scientia sine litteris comparari non potest. Voluptas, quae ex turpibus capitur, celeriter transit, dolorem autem in animo diuturnum relinquit; at labor in rebus honestis collocatus ipse quidem effugit, memoriam autem sui in animo relinquit plenam honestissimae et solidissimae voluptatis. Haec cogita et vale. Postrid. Id. Iul. Tibure. MDLXX.

Saluta mihi diligenter parentes tuos, tum etiam alterum patrem tuum; ita enim praeceptorem merito vocaverim, qui quod in te formando praecipuam quandam curam adhibet, idque ut arbitror mea commendatione adductus, affirmato ei, nihil ipsum mihi facere posse gratius, meque, si se ulla unquam obtulerit occasio, non commissurum, ut in hominem ingratum hoc suum beneficium contulisse videatur.

XVIII.

Eidem Ripario.

(Epp. I, 61.)

Etsi nihil erat quod scriberem, ac praeterea mirum me quoddam scribendi odium tenebat, nolui tamen verberonem hunc meum sine meis ad te litteris istuc venire. Amo te quotidie magis, quod a te litterarum studia eodem modo amari confido. Sed velim ad me diligenter scribas, quo te nunc scriptore oblectes, Cicerone an Terentio an, quod malim, utroque. Dare etiam operam debes, ut in iis, quae ad me scribes, iis loquendi generibus utare, quae in illorum scriptis notaveris, ut ea ipsa res fidem mihi faciat diligentiae in eis legendis tuae. Vale. Tibure. V. Kalend. Aug. MDLXX.

XIX.

Eidem Ripario.

(Epp. I, 62.)

Nemo est omnium, ad quem libentius quam ad te scribam. Sum enim animo ac voluntate erga te plane paterna. Sed vix credas, quam sim in hoc secessu occupatus, quem tamen plerique omnes esse plenum otii putant. Et quotidie quinas aut senas ab amicis litteras accipio, ad quas si respondere omnes velim, nil aliud agendum sit. Gratum est mihi, quod applicuisti te ad consuetudinem P. Aemilii et Horatii Macarani. Eorum enim uterque te et doctrina et exemplo efficere meliorem potest. Tales sectare. Qui autem alio ingenio sunt, eorum consuetudinem quasi pestem aliquam vita. Aetati tuae nihil diligentius providendum est, quam quibus sodalitatibus utare. Neque ego severum esse te ac tetricum omnique generi voluptatum inimicum volo. Hoc tantum moneo, non eas amicitias quaerendas, quae dulcissimae videantur, sed inducendum animum, ut, quae honestissimae sunt, easdem etiam dulcissimas esse ac suavissimas putes. Mi Alexander, etiam atque etiam vale. Tibure. V. Id. August. MDLXX.

XX.

Eidem Ripario.

(Opp. T. II. Auctar. ep. 5.)

Remitto ad te omnes propemodum litteras, quas a te accepi, leviter a me emendatas. Vide, obsecro te, ut posthac et saepius et diligentius scribas. Vix enim credas, quantae mihi molestiae sint pueriles quidam errores, in quos incidere te frequenter video. Sicubi in generibus loquendi paullo

minus usitatis paullove obscurioribus laberis, non offendor; at cum ita erras, ut adhuc prima grammaticorum praecepta ignorare videaris, indignor. Ac scis ipse, quam saepe tibi ob eam caussam iratus fuerim. Quare te maiorem in scribendo diligentiam adhibere par esset. Neque vero raritatem litterarum tuarum excusare ullo modo potes. Nam quae tandem esse possunt tua ista negotia? Magis vereor, ne te voluptates abstrahant et a scribendo et a legendo; quibus tu si te dederis, actum est. Non equidem interdico tibi omni genere voluptatum; non sum usque eo inhumanus; sed illae et honestae sint et adhibeatur modus. Crede hoc mihi: verae et solidae voluptates nulla re magis quam contemptu inanium comparantur. Saluta parentes tuos verbis meis. Vale. Tibure. XVI. Kal. Sept. MDLXX.

Nihil adhuc audio de litteris Graecis, num eis imbui coeperis. Ea res mihi maximae curae est. Da operam modis omnibus, ne diutius trahatur. Mora omnis mihi molestissima futura est.

XXI.

Eidem Ripario.

(Epp. I, 63.)

Vide, quam te amem. Cum a multis hodie litteras acceperim, nihil mihi prius faciendum esse duxi, quam ut ad te potissimum rescriberem. Cave putes, Alexander mi, ipsi te patri tuo cariorem esse quam mihi. Ac si quaeras, quae caussa sit huius erga te tanti amoris mei, ne vivam, si aliam afferre possum, quam quod videor mihi animadvertisse in te ingenium excellens et, si tu volueris, ad omnia summa natum. Sed tu hoc facito tecum cogites, multas res esse suapte quidem natura bonas, sed quae culpa eorum, qui illas possident, interdum pessimae ac perniciosissimae fiant. Bonae sunt opes, sed si quis non recte utatur, malae. Bonum forma, sed id bonum multis exitio fuit. Ex eodem

genere est ingenium. Si recte utaris, nullum prope hominum generi dari potest maius aut praestabilius donum; sed si ad bonum ingenium mala mens accesserit, itidem erit, ut gladius in manu furiosi: quo erit melior et acutior, eo plus afferet mali. Ego autem te, Alexander, amo nunc, quia ingenio bono es; amare desinam, si tu bono ingenio male uti coeperis. Sed id spero non fore, teque bono ingenio bene usurum esse confido, vel tuapte sponte vel quia videris mihi valde amare amorem erga te meum, quem tueri ac conservare alia ratione nulla potes. Vale et, si me amas, virtutem ac litteras ama. Nulla in humanis rebus maiora bona sunt. Iterum vale. Tibure. VIII. Kalend. Sept. MDLXX.

XXII.

Eidem Ripario.

(Epp. I, 64.)

Accepi ternas tuas litteras; in postremis autem quaedam erant ita negligenter scripta, ut facile constaret, aliud egisse te, cum illa scriberes. Ostendam ea tibi, cum istuc venero, et auriculam pervellam tibi, ut postea in scribendo attentior sis et saltem eos soloecismos effugias, quos effugerent etiam pueruli, qui primis litteris imbuuntur. Noli tamen ex hac mea admonitione molestiam ullam capere. Non enim propterea volo quidquam de tua hilaritate detrahi, sed ad diligentiam addi. Vale. Tibure. IX. Kalend. Octobr. MDLXX.

XXIII.

Eidem Ripario.

(Epp. I, 65.)

Versiculi, quos ad me misisti, ostendunt illi quidem, te, si ad poëticam ingenium tuum contulisses et bonos

magistros nactus in eo studio perstitisses, ad aliquam praestantiam pervenire potuisse. Nam et numerosi sunt et sententias habent neque inconcinnas neque ineleganter collocatas, et ipsum dicendi genus non abhorret a recto; planeque sperare posses, te aliquando bonum poëtam fore, si hoc agere velles. Sed maiora tibi proposita sunt, quae, quantum potes, urgeas censeo; et subsicivis horis veterum poëtarum scripta manibus teras, non tam ut imiteris, quam ut eis te oblectes simulque aliquid ex eis assidue, quod tibi usui sit, colligas. In scribendis versibus tempus a te collocari, verum ut fatear, nolim. Malos versus facere turpe est, mediocres inglorium, bonos difficilius, quam ut praestari possit ab iis, quibus aliud agendum est. Quid in tuis lima egeat, praesens praesentem admonere possim; per litteras non aeque facile possum. Recteque ac vere mihi videtur Ovidius dixisse, emendandi laborem maiorem esse quam scribendi. Mihi hoc credas velim, me hodie non difficilius ad saltandum quam ad faciendos versus adduci posse. Si quid erit serium, in quo meam operam desideres, non deero; in his levioribus si quando de me cogitabis, peto a te, illud quoque cogites, non multo iuniorem esse me, quam erat Horatius, cum illa de se scriberet:

Nunc itaque et versus et cetera ludicra pono.

Vale. Romae. Id. Febr. MDLXVIII.

XXIV.

Eidem Ripario.

(Opp. T. II. Auctar. ep. 2.)

Noli afflictare te, mi Alexander; ego te non deseram. Si alii et te et commendationes meas negligent, efficiam, ut eorum opera nihil indigeas. Tu modo habe bonum animum, morem gere parentibus tuis et cave diligenter, ne quid admittas, cur illi tibi merito irasci possint. Hoc si tu praestabis, noli dubitare; ego tibi praestabo cetera. Spes

est nos brevi istic fore. Conservato mihi illam pristinam hilaritatem tuam et alacriter incumbe in studia.

Nil formidandum Teucro duce et auspice Teucro.

Vale. Tibure. V. Id. Oct. MDLXX.

XXV.

Eidem Ripario.

(Opp. T. II. Auctar. ep. 6.)

Nunc demum videris mihi rediisse ad veterem illam in scribendo diligentiam tuam, de qua superioribus diebus tantum detractum esse, non satis aequo, ne quid te celem, animo ferebam. Perge igitur, ut coepisti, quam potes et saepissime et accuratissime scribere. Nam ea res et mihi voluptati et tibi utilitati summae futura est. Versus vero tui satis bonam spem mihi afferunt; insunt omnino errores quidam, sed eos emendabimus, cum una erimus.

XXVI.

Marcus Antonius Muretus Iulio Roscio S.

(Opp. T. II. Epp. I, 94.)

In hac commutatione consilii de instituenda ratione studiorum tui nihil me magis sollicitum habet, quam quod nescio, quos progressus in Graecis litteris feceris. Quarum sine mediocri saltem cognitione cave putes ad ullam doctrinae praestantiam perveniri. Eis si ita imbutus es, ut possis Aristotelem suapte lingua loquentem intelligere eiusque etiam interpretes Graecos sine cuiusquam interpretatione Latina consulere, non invitus patiar te ad studia philosophiae gradum facere; etsi, ut verum fatear, Demostheni, Thucydidi, Herodoto, Xenophonti et huius generis scripto-

ribus, praetereaque poëtis Graecis annum adhuc unum dari maluissem. Volo equidem, quidquid ages, prospere tibi ac feliciter evenire; sed tamen non committam, ut, si absque illo instrumento te ad philosophiam contuleris, dicere unquam possis, Muretum tibi eius consilii auctorem fuisse. Neque haec a me ita disputantur, quasi tibi in iis litteris, quae humaniores dicuntur, consenescendum arbitrer; longe semper ab ea sententia meus abfuit animus; sed tu et ea aetate es, ut properare non debeas, et eo ingenio, ut, si firma ac solida doctrinae fundamenta ieceris, ad summa omnia facile perventurus esse videaris. Nam quod ais, sine eloquentia multos ad summam amplitudinem pervenisse, sine sapientia neminem: verius dixisses, et sine sapientia et sine eloquentia et sine ullo vero bono multos ea, quae vulgo habentur amplissima, et olim consecutos esse et quotidie consequi. De quibus constitueram hoc loco pluribus disserere; sed avocor. Tres enim hic habemus Cardinales, qui mihi omne prope tempus eripiunt. Mi Rosci, ignosce occupationibus meis et vale. Tibure. III. Non. Octobr. MDLXX.

XXVII.

M. Antonius Muretus Francisco Venierio S. D.

(Opp. T. II. Epp. III, 56.)

Bene facis, quod te latine scribendo quotidie exerces conatumque omnem adhibes, ut praestantiam in eo genere aliquam consequaris. Non enim dubito, quin et cetera vita et istud tuum studium eo, quo debet, id est, ad propagandam gloriam Christi et ad ecclesiam pro tua virili parte ab insultibus improborum defendendam dirigatur. Sed quid te usque huc deterruerit, ne ad me scriberes, dispicere equidem non queo. Nam neque ea auctoritate sum, ut quisquam iudicium meum vereri debeat, et, si essem, summa tamen mea erga totam sodalitatem vestram voluntas omnem

istum metum tibi facile adimere poterat; cum tu praesertim ita scribas, ut laudem potius exspectare ab omnibus debeas, quam cuiusquam fastidium extimescere. Cave igitur posthac, difficile tibi quiddam atque arduum putes ad Muretum scribere. Hanc modo mihi veniam dato, ut ad litteras tuas, quae mihi quo crebriores eo iucundiores futurae sunt, solutius ac negligentius, id est, hoc familiari ac quotidiano sermonis genere respondere liceat. Nihil enim invitius facio, quam ut in limandis ac poliendis epistolis otio abutar; neque mihi ullum praeceptorum, quae tradita sunt a dicendi magistris, magis placet quam illud, dandam esse operam, ut sponte fluere videatur oratio. Ego vero, ut magis videatur, sponte plane fluere eam sino et ignaviae meae excusationem ab ipsis magistris peto. Tu quoque, si me amas, aut potius, quoniam me amas, imitare, cum ad me scribes, hanc ipsam negligentiam meam, ne, si accuratius scripseris, mihi quoque accurate scribendi necessitatem imponere videaris. Deus et studia et totam vivendi rationem tuam ad gloriam suam perpetuo dirigat. Vale.

XXVIII.

M. Antonius Muretus Paulo Sacrato.

(Opp. T. II. Epp. III, 28.)

Volo te, mi Sacrate, miseriarum mearum participem facere; ita enim leviores videntur fore, si eas in amicissimi hominis sinum deposuero. Accidit mihi his diebus quiddam, quod me prope ad insaniam adegit, certe quidem ita conturbavit, ut nunquam in vita commotiorem fuisse me meminerim. Nosti, opinor, facilitatem meam, et ut omnes, qui notam modo aliquam humanitatis prae se ferre videantur, in bibliothecam meam admittere eisque mea omnia aperire ac patefacere soleam. Eorum quidam (quis fuerit suspicari possum, pro certo affirmare non possum) nuper

data occasione Plauti librum, in quo emendando viginti quinque annos et eo amplius insudaveram, furto surripuit, et una cum eo alios aliquot libros, quorum iactura minus me movet, quia similes alios pecunia parare possum. Plautus me conficit, Plautus me angit et exanimat, Plautus quiescere me non sinit. Perierunt tot annorum sudores ac vigiliae; adempta est voluptas, quam maximam ex illius lectione capiebam, praecisa spes gloriolae, quae ex tot locis emendatis sperari poterat; quam etsi non aucupor, facere tamen non possum quin doleam, eam mihi mea stultitia, aliena improbitate surreptam. Idem ille plagiarius, quisquis est, septem folia libelli mei, quae tu ad me miseras, abstulit; in quo magis etiam improbitatem suam declaravit, qui id quoque suffurari voluerit, ex quo ad se quidem nihil commodi, ad me autem aliquid incommodi perventurum esset. Peto igitur a te, primum ut meo dolore doleas, deinde ut ad me quam primum septem illa prima folia mittas; octavum enim habeo. Ego autem missurus ad te statim sum interpretationem Graecorum et indicem eorum, quae a librariis peccata sunt. Vale et me ama. Romae. III. Idus Ianuar. MDLXXXI.

XXIX.

M. Antonius Muretus S. D. Paulo Manutio.

(Opp. T. II. Epp. I, 3.)

Heri redeuntem me a Balneis Aponi, quo me partim animi, partim valetudinis caussa contuleram, exceperunt litterae tuae; quae quam mihi gratae fuerint, noli quaerere. Mihi crede: quidquid reliquum erat molestiae *ἐξ ἐκείνου τοῦ συμπτώματος, οὗ πέρι πρώην ἔμαθες,* deterserunt omnemque ex eo natam aegritudinem depulerunt. Habebant egregiam sane atque illustrem significationem veteris illius ac perpetui amoris erga me tui; de quo etsi mihi nunquam ut dubitarem contigit, tamen fit, nescio quo modo, ut omnis illius ex-

pressio quasique professio pergrata mihi perque iucunda sit. Ego, mi Manuti, cum de eo, quod mihi contigerat, retulissem ad medicos meque illis omni ex parte indicassem, neque quidquam de tota mea ratione ac consuetudine vivendi reticuissem, nihil aliud reperire potui, nisi id, quod ipse per me facile suspicabar: nocere mihi, quod tam raro exirem domo, quodque, ut me impetus ceperat, ita me, nulla habita ratione temporis, aut ad legendum aut ad scribendum darem. Itaque de eorum consilio meditor paullo laxius ac solutius vivere, et ante cibum ambulatiuncula modici sudoris aliquid excitare, praetereaque, cum videbitur, alienis et oculis legere et manibus scribere; quem ad usum parare cogito amanuensem quempiam, cui epistolas inambulans dictem, nisi si quid erit *τῶν ἀποῤῥήτων*, quamquam haec quoque interdum, sed *ἐν αἰνίγμασι*. Antea enim solebam statim a prandio calamum in manum sumere et horam unam atque alteram epistolarum scriptioni dare; quo re ipsa comperi nihil esse perniciosius. Cavebo igitur et, ut mones, parcam mihi, cum mea caussa tum me hercules etiam tua. Non enim levem neque contemnendam iacturam faceres, si quid mihi contingeret. *Φίλου γὰρ οὐδὲν κτῆμα τιμιώτερον.* Ego vero amicus tibi sum, et amicus ex animo, quales admodum paucos esse non iniuria querebatur Theognis. De Catullo exiguam tu quidem mihi diem praefinis, sed tamen dabitur opera, ut satisfiat tibi. Torquatus Bembus respondit, se cognoscendi mei cupidissimum esse mihique libenter gratificaturum, quacunque in re posset. Quod scribam, aliud nihil occurrit. Etiam atque etiam vale, mi Manuti. A. d. IV. Kalend. April. Patavio. MDLXVIII.

XXX.

M. Antonius Muretus S. D. Paulo Sacrato suo.

(Opp. T. II. Auctar. ep. 24.)

Magno mihi dolori fuit mors fratris tui, tum quia ipsum amabam, ut tuos omnes debeo, tum quia facile in-

tellexi, pro tua humanitate et eximia caritate erga tuos quam ea tibi gravis et molesta futura esset. Quamquam autem sera iam consolatio videri potest, facere tamen non possum, quin te moneam, id quod tibi notissimum esse scio; sed interdum evenit, ut doloris acerbitas etiam ea, quae notissima sunt, ex animo excutiat: ut memineris aequissimo animo ferendam esse hanc Dei quidem voluntatem, humanae autem naturae necessitatem. Si ars aliqua reperiri posset, qua fieret, ut in hac vita perpetuo maneremus, tamen eam repudiare et aversari oporteret, quae nobis aditum ad meliorem vitam intercluderet. Nunc ea nobis Dei voluntate imposita est necessitas, ut hinc aliquando exeamus, neque quidquam magis inter stultos et sapientes interest, quam quod illi indignantur, nunc suis evenire, quod sibi quoque eventurum est, nunc se eo pervenisse, quo perveniendum est omnibus; hi communem sortem et in suis placide ferunt, et in semet ipsis placide exspectant. Miramur, Sacrate, mori eos, quos amamus? Ipsi nos quotidie morimur, Quota pars superest in nobis eius, quod in adolescentibus fuit? Mei quidem iam mortui sunt dentes; prope enim omnes deciderunt; paullatim moriuntur oculi, quos quotidie minus ac minus perspicaces fieri sentio; moritur memoria; mortua sunt alia, quae utinam multis abhinc annis mortua fuissent. Mihi crede, Sacrate: senectus mea vix alio nomine mihi gratior est, quam quod mihi placidiorem ad moriendum viam sternere videtur. Itaque mortuis amicis bene precemur; ipsi nos ad bene moriendum quotidie praeparemus.

De silentio tuo neque cur te purges, caussa ulla est, neque ullus metus, ne mihi propterea minus carus sis. Partem aliquam scriptorum meorum iam ad te misissem, nisi de omnibus simul edendis cogitarem. Si tamen longum tibi videtur exspectare, dum id fiat, non recuso, quin interea mittam ad te aliquid proprie tuum, quod tu Venetiis excudendum cures. Id si te velle significaveris, in me mora non erit ulla. Vale. Ex Urbe. prid. Id. Februar. MDLXXIV.

XXXI.

M. Antonius Muretus S. D. Cornelio Valerio.

(Opp. T. II. Epp. I, 49.)

Redit ad te Lipsius tuus, et redit magno meo dolore. Ita enim me devinxit sibi praestantia ingenii et doctrinae, integritate morum, suavitate sermonis ac consuetudinis suae, ut eo discedente a memet ipso mihi avelli viderer. Felicem te, Corneli, cuius ex disciplina adolescens tam rari exempli prodiit. Equidem antea et magni faciebam te ex scriptis tuis, et amabam pro iudicio, quod amantissime de emendatis a me Terentii fabulis feceras. Nunc vero, mihi crede, tanta accessio propter Lipsium facta est et ad opinionem de te et ad amorem erga te meum, nihil ut magis cupiam, quam occasionem mihi aliquam dari declarandi tibi re et factis, quanti apud me sis. Cuius rei si libebit periculum facere, quaeso te, si qui huc venient, quos tu ames, praecipueque qui habeant aliquid simile Lipsii, ut eos mihi potissimum commendandos putes. Nam eadem opera et ego mihi videbor abs te beneficium accipere et conabor efficere, ut ipsi quoque eo nomine aliquid se tibi aliquando debere fateantur. Vale. Romae. III. Non. April. MDLXX.

XXXII.

M. Antonius Muretus Hugoni Blotio, Bibliothecae Imperatoriae praefecto, V. C. S. D.

(Opp. T. II. Auctar. ep. 28.)

Binas tantum a te litteras accepi, Bloti, vir eruditissime, quas utrasque attulit Matthaeus Stufius. Ceteras ad me perlatas non esse scito. Earum, quas accepi, priores nihil fere continebant praeter accuratam commendationem

ipsius Stufii et quaestionem quandam de pede Romano. Ad Stufium quod attinet, nihil praetermisi, quod in me situm esset, et declaravi, quanti facerem commendationem tuam, quibuscunque rebus potui, pluribus idem perfecturus, si ita res ipsius tulissent. Sed patres, quibus istinc commendatus fuerat, diutius eum mecum esse noluerunt, neque ego eorum voluntati atque auctoritati pro mea perpetua erga universum illum ordinem observantia adversari aut potui aut debui. Si quid eveniet, in quo ei auctoritate, gratia, opera, pecunia, omni denique auxilii genere prodesse possim, faciam caussa tua, ne quid ei amplius desit, quam si inter suos esset. Atque hoc cupio te quoque ad ipsum scribere, ut plane sciat, se mihi curae et esse et, dum hic erit, fore.

Quod de pede Romano quaerebas, ne ad id tam cito, quam par erat, responderim, caussa haec fuit. Ibam ad Lucam Paetum, ut ex eo certius aliquid exploratiusque cognoscerem. Cum eo venissem et cum illo sermonem conferre coepissem, litterae tuae, quas ipsi ostendere cupiebam, in via mihi e sinu exciderant. Haesi attonitus, cum satis certo constituere non possem, numquid eas mecum extulissem, an reliquissem domi. Itaque ut domum redii, omnes capsas, omnes forulos, omnes angulos bibliothecae meae excussi, donec magna sane cum animi molestia sensi, verum esse illud vetus dictum: neque sinui neque mulieri credendum esse. Distuli tamen, sicubi eas forte reperirem; qua spe fretus, dum diem ex die duco, factus sum ὑπερήμερος. Hodie denique ad Paetum redii, et quia meminisse videbar, ζήτημα tuum fuisse de discrimine, quod Paetus dixisset esse inter pedem Colotianum, quo Agricola usus est, et suum, hoc ex ipso quaesivi. Ostendit autem mihi cum alia vetustatis monumenta sane insignia, tum pedes duos aëneos e terra erutos mirae antiquitatis. Eorum utrumque cum Colotiano contulimus. Est omnino aliquid discriminis: pauxillulo enim longior est Colotianus; sed discrepantia ita tenuis est, ut oculorum acies intendenda sit,

scrupuli si forte unius est. Ego tamen non dubito, quin Paeti pes verior sit quam Colotii. Sed, ut dixi, discrimen est λόγῳ θεωρητόν. Si quid a me aliud praestari voles, fac scribas; non enim tibi concedam, ut tu mea caussa plus velis quam ego tua.

Nunc ad summa capita posterioris epistolae tuae respondebo. Noli, obsecro, excusare te, quod ad me minus accurate scribas. Ego enim, qui vix unquam epistolas meas relegere soleo, nedum emendare ac rescribere, concidam animo, si cogitem, mihi quoque cogitandum esse, cum ad te scribam. Utamur potius illa veteri consuetudine scribendi amice ac familiariter, quidquid in solum. Tu quidem minus crebras a me litteras accipies, si eam mihi necessitatem imponas, ut quae ad te scribam, limare ac polire cogar. Quod mihi ultro defers indicem librorum, qui sunt in bibliotheca Caesaris, adeoque si quid describi velim, ut id fiat, curaturum polliceris, amice magne, quis tibi genius id, quo ego uno maxime ac facillime capi possem, indicavit? Certe enim, si cum Ulysse fuissem et Sirenes mihi tale aliquid ostentassent, in mare me, opinor, quamquam non valde bonus natator, coniecissem, ut ad eas pervenirem. Indicem igitur illum avidissime exspecto.

Quem honorem habuit Caesar τῷ μακαρίτῃ Paulo Manutio, idem ut mihi quoque habeatur, quod ostendis facile per te et per Matthaei Stufii patrem impetrari, si velim, posse: respondebo tibi aperte et breviter. Ego quidem per id mihi petere non auderem, ne ambitiosus viderer, neve irridendi mei occasionem cuiquam darem, si forte id peterem neque obtinere possem; sed si per amicos negotium confici posset, longe plurimum debere et Caesareae Maiestati et iis, qui mihi tantum honorem ab illa conciliassent, et agnoscerem et praedicarem. Exspectabo igitur, dum super ea re aliquid ad me exploratius scribas, ac tum demum, si voles, mittam ad te familiae meae δεῖγμα. Sed quia ego, cum iam pridem sacerdos sim, filios ex me relinquere non possum, si quid mihi vestra opera concedetur, cuperem

id et ad M. Antonium Muretum, fratris mei filium, magnae spei puerum, quem ego e Gallia arcessitum hic mecum educo, et ad posteros ipsius pertinere.

Ama me, Bloti optime et eruditissime, et scito, me tibi in amore perpetuo responsurum esse. Vale. Romae, Nonis Martiis MDLXXIX.

XXXIII.

M. Antonius Muretus Constantino suo S. D.

(Epist. III, 47.)

Litteras a te post discessum hinc tuum nullas accepi, praeter eas, quae mihi mensem fere abhinc unum redditae sunt, una cum vasculo conditi e malis Persicis, quod mihi sane iucundissimum fuit. Tam multa tibi adversa evenisse moleste fero, incolumem te ex illis evasisse immortaliter gaudeo. Quod me amas, scito te id mutuo facere. Et si quid accidet, in quo declarari tibi velis, quanti a me fias, non fallam opinionem tuam. Vinum quod te missurum scribis, si erit, per quem commode mittas, ita demum mihi gratum futurum est, si nullo tuo sumptu id fiat. Omnino enim sumptum a te nullum mea caussa fieri volo. Satis superque mihi futurum est, cum quid istinc mihi curari volam (erunt autem interdum nonnulla, quae velim) si mea caussa operam dederis, ut lecta omnia et cum fide ad me adferantur. Pretium et pro merce et pro vectura statim adnumerabo, cui tu inscripseris et quantum scripseris. Respondissem citius ad litteras tuas, si eas ad me Centurio ipse attulisset; sed nuper admodum ad me venit. Ego autem, antequam eum viderem, cui litteras ad te tuto dare possem nesciebam. Visus est mihi adolescens honestissimus et dignus tum nobilitate gentis suae, tum tua commendatione. Itaque detuli ei prolixe mea omnia omninoque puto fore, ut ante aliquot menses exstet egregia aliqua significatio voluntatis in eum meae. Mittam ad te scripta quaedam

mea, simulatque has litteras ad te perlatas esse cognovero. M. Antonius fratris mei F. te salutat, crebro de te loquitur, amat te, ut debet, ex animo, et ad te propediem scribet. Tu quoque perge amare utrumque nostrum et vale. Romae Idib. Ian. MDLXXXII.

XXXIV.

M. Antonius Muretus Herculi Ciofano Sulmonensi suo S. D.

(Opp. T. II Auctar. ep. 12.)

Utut est, a discessu tuo unas tantum a te litteras accepi; ad quas ipsas quid respondeam non reperio; nihil enim continent, nisi commemorationem quandam minime necessariam iam pridem institutae inter nos amicitiae et levem quandam conquestionem, quod ad eas litteras non responderim, quas omnino non accepi. Ego te, Ciofane mi, amo ex animo, idque tibi, quoties se offeret occasio, re ipsa declaraturus sum, non in tuis tantum, sed in omnium qui mihi a te commendabuntur negotiis. Hoc amplius praestare nihil possum. Te, quidquid mihi gratum fore intelliges, curaturum et quod in te erit, perfecturum esse, sat scio. Fac sciam, quoad te hic exspectare debeamus. Vale. Romae. Postridie Non. Sextil. MDLXXVIII.

XXXV.

Muretus Melisso S. D.

(Opp. T. II. Auctar. ep. 14.)

Negotium tuum mihi curae fuit, ut decebat. Sed cum omnes vias tentassem, quibus id, quod cupiebas, assequi posses, cumque super ea re multorum sententias exquisiissem, reperi te, id quod tibi gratis concedi postulas, ne magna quidem vi pecuniae numerata obtinere posse. Omnino, Melisse, ἀδυνάτων ἐρᾷς. Fuit olim aliquod tempus,

cum ista quibusdam tribuebantur; post concilium Tridentinum nemini concessa sunt, neque spes est concessum iri. Hoc ad te eo serius scribo, quod, nisi re diligenter explorata, scribere nolui; et clarissimus quoque vir, Orator regius, mihi, ut diligenter quaererem, mandaverat; cupiebat enim cum Pontifice agere, si spes ulla ostensa esset aliquid effectum iri. Nobis ipsis, hoc est, Cubiculariis Apostolicis, militibus SS. Petri et Pauli, ea prope omnia, quae tu petis, a superioribus Pontificibus concessa erant; sed, ut dixi, post Tridentinum concilium sublata sunt. Itaque aliud quippiam tibi videndum est, in quo et Oratoris regii, et meam erga te voluntatem liquido perspicere possis. Nunquam enim patiemur quidquam, quod in potestate nostra situm sit, frustra a te desiderari. Manutius hic est. Cum eo aliquoties de re tua locutus sum. Ait se cupere omnia facere; sed χρημάτων ἀπορεῖν, ita ut sumptu suo facere id quod volumus, non queat. Non puto eum fingere; plane enim male a re domestica instructus est. Mi Melisse, vale et ama me. Romae. V. Kalend. Iulias MDLXXIX.

XXXVI.

M. Antonius Muretus Paulo Sacrato suo S. P. D.

(Opp. T. II. Epp. I, 66.)

Tandem ad te remitto epistolas tuas; neque enim per assiduas occupationes et per molestissimum oculorum dolorem, quo dies aliquot laboravi, citius licuit. Eae si conquerentur, se a me paullo severius acceptas esse, recordari debebis, hoc ipsum a te mihi mandatum esse; ut, si mollius ac lenius eas tractare voluissem, verendum mihi fuerit, ne tibi non satis obsequens viderer. Sed de his satis. Nunc exponam tibi totum illud negotium Polonicum, quando litterae, quas ad te, re adhuc recenti, scripseram, perierunt. Stephanus, Poloniae rex, qui et aliis regiis virtutibus ornatissimus est

et hoc supra ceteros omnes reges, qui multis abhinc saeculis vixerunt, eximium habet, quod et amat unice homines eruditos et ipse omni elegantis doctrinae genere mirifice excultus est, miserat in Italiam unum e domesticis suis, qui quasi delectum quendam haberet praestantium doctrina virorum eosque opimis admodum propositis conditionibus in Poloniam invitaret ad Academiam novam, quam rex Cracoviae instituere parabat. In mandatis autem regiis, quod ad alios quidem attinet, facta erat potestas ei, qui huc venerat, optimum quemque et in docendo exercitatissimum deligendi; de tribus nominatim perscriptum erat: de me, de Carolo Sigonio et de Fulvio Ursino. Ac mihi merces proposita mille quingenti quotannis aurei nummi. Addebat rex, si sacris initiari vellem (nondum enim sciebat, me sacerdotem esse) perfecturum se, quo mihi magis liberet manere in Polònia, ut intra breve tempus honesto aliquo sacerdotio, ex quo non minus quingentos annuos aureos nummos caperem, cohonestarer. Ea de re unus e primoribus illius regni, Ioannes Zamoscius, qui nunc magnus regni Cancellarius est, litteras ad me peramanter perque honorifice scriptas dedit. Commotus sum non tam ipsius praemii magnitudine, etsi his quidem temporibus inusitata, quam tanti regis tam propensa ac benefica erga homines litterarum studiis deditos voluntate. Neque me commovebat itineris difficultas, qui exploratum haberem, cum lectica una cum filiolo fratris mei, puero sex annos nato, quem mecum illuc ducere cogitabam, ad fanum Lauretanum (eo enim religionis ac pietatis caussa iter facere decreveram) gestatus essem, posse me cisio Cracoviam usque commodissime vehi. Et iam convenerat, ut mihi regis nomine ad iter conficiendum darentur trecenti aurei nummi, ad quos ego ducentos de meo praeterea addere cogitabam. Iam mihi illud sanctitatis et doctrinae specimen, Stanislaus, Cardinalis Varmiensis gratuitam habitationem in palatio, quod Cracoviae habet amplissimum, offerebat. Multae a summis viris litterae commendaticiae in Germaniam et in Poloniam promissae erant,

ut, cum eo venissem, nunquam fere in diversoria publica ingredi necesse haberem. Neque verebar illam, quae in Polonia esse dicitur, inclementiam caeli asperitatemque frigoris. Sciebam illa omnia re multo minora esse quam fama; et alioqui sum ipse quoque natus in parte Galliae maxime montosa ac frigida. Quod autem quidam, qui deterrere me cuperent, clamabant, gentes illas feras ac barbaras esse, interdum mihi risum, interdum stomachum movebant. Magna mihi, Sacrate, cum multis Germanis, magna cum permultis Polonis familiaritas, magnus usus, magna necessitudo fuit. Semper eos expertus sum bonos viros, rectos, simplices, apertos, humanissimos praeterea, et prope omnes eo vitae cultu ac munditia, quae ad elegantiam potius quam ad ullam barbariem accederet. Nugae istae sunt hominum, eos, qui adulari et fallere et aliud loqui, aliud cogitare nesciunt, barbaros vocantium. Utinam nos eo modo barbari essemus! Utri vero barbariores sunt: nati in media Italia, quorum vix centesimum quemque reperias, qui Latine aut Graece loqui sciat aut litteras amet, an Germani ac Poloni, quorum permulti et earum linguarum utramque perfectissime callent et ita litteras ac liberales disciplinas amant, ut in eis tempus omne consumant? Olim illi fortassis asperi ac barbari fuerunt; hoc quidem saeculo vereor ne ad nos barbaries, ad illos cultus et splendor vitae et eruditio atque humanitas, mutatis sedibus, commigrarint.

Itaque, ut verum tibi fatear, libentissime eo commeassem, si nihil obstitisset. Quidquid enim commodi mei caussa ab eis petebam, id omnes prolixe ac copiose offerebant, ut iam constaret, inter nos sine ullo negotio conventurum esse. Quid quaeris? Fidem eis dederam, venturum esse me, si per summum Pontificem, cui servio, et per Cardinalem Estensem, cuius in clientela ac familia sum, liceret; alioqui enim non posse me, nisi eorum permissu, de me ipso quidquam tale polliceri. Putabam autem, neutrum eorum hoc iniquo animo laturum, cum Cardinalis quidem gratis me alat (nullam enim ad rem mea opera

utitur) summus autem Pontifex ingentem copiam habiturus esset eruditissimorum hominum, qui se in locum meum substitui postularent. Contra tamen accidit, quam putaram. Etenim cum rumor de meo discessu tota iam Urbe pervulgatus esset, Conservatores populi Romani (is summus magistratus est eorum, qui hodie populi suffragiis deferuntur) ad Pontificem accedunt, cum praesentes etiam adessent ii ex Cardinalibus, quibus studiorum cura commissa est, remque ei exponunt atque ab eo supplices petunt, ne me abire patiatur; addunt multa de me, quae malo te ex aliis cognoscere. Pontifex benigne eos audit, bono animo esse iubet, se, quod opus foret, imperaturum esse confirmat. Paucis post diebus per Ludovicum Castaneum Rupipozaeum, Christianissimi regis Oratorem, virum et claritate generis et virtute et eruditione praestantem, iubet mihi denuntiari, ne abeam; sibi curae fore, ne me, quod auctoritati suae paruissem, poeniteret. Respondi, nullam pecuniam mihi esse tanti, ut mihi quidquam placeret, quod Pontifici displiceret, et honorificum quidem mihi visum esse, quod a tanto rege vocarer, sed multo honorificentius, quod et a Pontifice et a tali Pontifice retinerer. Pontifex postea epistolam ad me misit amantissime scriptam, qua ad stipendium quingentorum nummorum aureorum, quod iam pridem capiebam, significabat se ducentos praeterea addidisse. Eodem tempore Matthaeus Contarellus, Pontificis Datarius, vir et eximia quadam integritate vitae et singulari Romanarum rerum intelligentia insignis et mei, ut scis, amantissimus, certiorem me fecit, sibi a Pontifice mandatum esse, ut mihi quam primum attribueret et assignaret annuam trecentorum aureorum nummorum pensionem. Itaque rex tam longinquus effecit testimonio et iudicio de me suo, ut sanctissimi Pontificis liberalitate ad veteres fortunulas meas accesserint annui quingenti aurei nummi. Sed et Cardinalis Estensis, simul atque istinc rediit, amplo me et honorifico munere donavit; quod ego eo magis praedicare gestio, quod ipse tacere me iussit. Parendum tamen est, ne, dum gratus

haberi volo, me illi non satis morigerum praebeam. Sed et ego scribendo defessus sum et te suspicor, cum haec tam verbose scripta legeris, fessum fore. Vale. Romae. Prid. Kal. Maii MDLXXVIII.

XXXVII.

Serenissimo et Potentissimo Principi Stephano, Dei gratia Poloniae Regi etc.; M. Antonius Muretus S. P. D.

(Opp. T. II. Epp. I, 80.)

Nihil in vita aut optabilius aut honorificentius mihi contingere potuit, Serenissime Rex, quam ut homo neque ingenio neque doctrina praeter ceteros praestans, amplissima et honestissima conditione proposita, a Maiestate tua in Poloniam vocarer. Quo equidem venire cupiebam, non tam privati commodi spe quam mirifico quodam studio incensus videndi ac venerandi cominus eum Principem, qui solus hodie confirmat vetus dictum hominis sapientissimi: *tum demum beatas civitates fore, cum aut philosophi regnarent aut reges philosopharentur*. Sed id cum ita cuperem, ut nihil unquam cupierim ardentius, cur efficere non potuerim, Regia Maiestas tua ex Ioanne Zamoscio Secretario suo intelleget; a qua supplex peto, ut ne propterea dedignetur me in suorum numerum adscribere, neque iniquo animo ferat, me, dum vivam, quibuscunque modis potero, et loquendo et scribendo, quantum Regiae ipsius liberalitati debeam, profiteri ac praedicare. Deus Opt. Max. Regiam Maiestatem tuam rebus omnibus florentissimam quam diutissime servet. Romae. Kal. Decembr. MDLXXVII.

XXXVIII.

Ornatissimae ac nobilissimae sodalitati Germanorum in schola Patavina Iurisprudentiae studia colentium M. Antonius Muretus S. D.

(Opp. T. II. Epp. III, 70.)

Tertio Idus Ianuarii, cum iam advesperasceret, accepi litteras vestras, hoc est, eo ipso die, quo tabellarii publici, qui statis diebus hinc Venetias eunt, iter ingressuri erant; quo factum est, ut statim respondere non potuerim. Postridie autem eius diei conveni legatum Venetum, ut ex eo cognoscerem, num quid in mandatis habuisset ea de re, de qua vos ad me amantissime et honorificentissime scripseratis. Negavit quidquam ad se tale aut a Triumviris aut a quoquam alio scriptum esse. Ex quo facile intelligere potestis, non tantam haberi honestissimae voluntatis vestrae rationem, quantam par erat. Omnino autem video rationem illam tradendae verae ac solidae Iurisprudentiae, quae hodie in Gallia viget, Italis non placere; etsi ego quidem in hac urbe, cum libros Digestorum interpretarer, multorum studia commoveram iamque illud consecutus eram, ut plerique istorum, qui magno fastu illas, quas vos merito aversamini, ineptias docent, soli in scholis relinquerentur. Itaque quidam ex eis adierunt Pontificem ac cum eo egerunt, ut ne me illam docendi iuris rationem tenere pateretur; alioqui fore, ut iuventus orationis suavitate capta praeclaram Bartoli et talium doctrinam repudiarent; se quidem, si ego ulterius pergerem, destituros potiusque se docendi munere abdicaturos. Quid plura? Et ipsi facile persuaserunt, quod volebant, et ego non aegre a me obtineri passus sum, ut annuo quingentorum nummorum aureorum stipendio proposito eloquentiae potius et politices praecepta traderem. Nuper etiam, cum me Stephanus Poloniae Rex tantis propositis

praemiis, quanta vix cuiquam alii cuiusquam artis Professori hoc tempore proposita fuisse scimus, in Poloniam evocasset, Pontifex, ut me in urbe retineret, suapte sponte ad vetus illud stipendium quingentorum ducentos praeterea nummos aureos annuos addidit porroque se multa facturum pollicetur, quo mihi magis in urbe esse libeat. Quo igitur in statu res sit, videtis. Hesterno quidem die curavi, ut ipse Pontifex per oratorem Regis Galliae, qui hic est, de vestra audiendi mei cupiditate certior fieret. Qui cum hoc libenter accepisse visus esset, *Cur non ipsi*, inquit, *potius huc veniunt? Excipientur enim a nobis omni genere humanitatis, neque tunc impediemus, quo minus Muretus arbitratu suo illorum studiis obsequatur.* Certe Pontifex ipse propensissima est in gentem vestram voluntate; neque vobis ignotum est, quantam vim pecuniae quotannis attribuerit et assignaverit Germanis aliquot adolescentibus educandis. Ego vero, nobilissimi et ornatissimi viri, semper mirifico animo erga Germanos fui, motus ingenua quadam simplicitate et integritate ab omni fuco et fallaciis remotissima, quam in eorum plerisque ita cognoveram, ut eam laudem gentis vestrae propriam esse statuerem. Quando igitur istic una esse non licet, videte, num rationibus vestris expediat huc venire et mecum una communi studio ad vindicandam a barbarie Iurisprudentiam incumbere. Mihi credite: si vobis huc venire libeat, aliquid fiet. Quaeso autem obtestorque vos, ut, quidquid hac de re consilii capietis, ad me scribere ne gravemini vobisque ita plane persuadeatis, quidquid a me vestra caussa aut publice aut privatim fieri poterit, id semper cupidissime facturum esse. Romae. XV. Kalend. Februarii MDLXXVIII.

XXXIX.

M. Antonius Muretns Paulo Sacrato Suo S. D.

(Opp. T. II. Epp. III, 29.)

Velim hoc mihi credas, Sacrate mi optime et amicissime, non te ardentius cupere litteras meas, quam ego ad

te et creberrime et longissime de toto rerum mearum statu scribere cupio. Sed ita multa quotidie interveniunt, quae me varias in partes distrahant, ut interdum vix respirandi otium detur. Itaque cum hic amicos et plurimos et potentissimos habeam, cum omnia mihi Dei beneficio non modo ad commode, sed ad laute ac magnifice vivendum affatim suppetant, cum me libenter omnes videant, cum apud omnes ordines gratiosus sim, maior me tamen in dies urbis satietas percipit. Quando enim vivam, si post tot annos laboriosissime actos ne seni quidem quies ulla conceditur? Alius me negotii sui caussa cursitare per urbem iubet et modo hunc, modo illum ex proceribus convenire ac colloqui; alius sepulcralem inscriptionem petit; alius quod in ponte aliquo aut in basi alicuius statuae inscribat; est qui huius aut illius scriptoris locum sibi aliquem declarari postulet; est qui epistolam, carmen, orationem emendari aut, quod interdum minus molestum est, totum refingi ac recudi velit. Iam quantum mihi temporis auferri putas ab istis, qui, quoties ipsi nihil quod agant, habent, alios quoque omnes diffluere otio existimant? Veniunt, admitti volunt; nisi admittantur, fremunt, inhumanum esse me ac difficilem conqueruntur; admissi ultro etiam obiurgant, quod nimis in studiis defixus sim, quasi per istos quidquam mihi temporis studiis meis tribuere liceat; relaxandum interdum esse animum clamant, quem ne relaxare possim, ipsi magna ex parte obstant. Tum in alienissimos et mihi molestissimos sermones ingrediuntur: quid novarum rerum allatum sit e Gallia, qui Belgicorum tumultuum futurus exitus putetur, quid agat, quid meditetur Pontifex, quot et quos Cardinales proximis comitiis hominum fama designet. Quarum omnium rerum ego ita non imperitus modo, sed etiam incuriosus sum, ut saepe, Romae an ruri sit Pontifex, nesciam. Obdurare tamen et vorare haec et talibus ineptiis verberandas aures praebere cogor, donec et ipsi tundendo defessi sunt et ego vapulando enectus. Semianimis et ἐμβρόντητος relictus, ubi me denuo in bibliothecam abdidi, video in mensa satis

multa explicata, quae mihi torporem excutere possint. Neque est quod dicas, ista omnia, si quis obfirmet animum, posse vitari. Mihi crede: aut multae ac graves inimicitiae suscipiendae sunt, aut haec et eiusdem generis innumerabilia perferenda. Eant nunc amici et querantur, ullum tabellarium sine meis ad se litteris venire. Quid quaeris? Harum rerum taedio de urbe relinquenda saepissime cogito et Venetias ire ibique, quod reliquum aetatis est, transigere discupio. Ille mihi locus ad senilem quietem ac tranquillitatem factus videtur. Atque equidem si sperarem, aliqua honesta ac tuta ratione tantum capere me illic ex fructibus pecuniae meae posse, quantum ad vitam γεροντικώτερον, id est, paullo mollius ac delicatius agendam sufficeret, colligerem omnes vindemiolas meas et istuc venirem. Videor autem conficere posse ad novem aut decem millia nummorum aureorum. Ea si possem ita collocare, ut et de sorte nullum discrimen esset et in singula millia octogenos nummos aureos quotannis percipere liceret, non equidem ad te accurrerem, sed advolarem. Efficerentur enim octingenti aurei nummi annui, quibus ego facile sustentare me possem. Viverem interea quietus in studiis et multa scripta mea partim rudia et inchoata perficerem, partim affecta et prope ad extremum perducta edolarem et expolirem. Viderem etiam interdum Sacratum meum. Certe enim nonnunquam aut ipse Venetias aut ego Ferrariam venirem. O si mihi Deus hoc annuat, quam mihi videor beatus fore! Quid, si tu quoque ad hoc consilium meum adiuvandum et accelerandum aliquid curae ac cogitationis conferas? Quod ut facias, a te peto quaesoque. Vides, quam libenter tecum confabuler? Quippe haec enim scribo sexta hora noctis, cum periculum ab interpellatoribus nullum est. Incredibiliter doleo, aegrotasse te; convaluisse immortaliter gaudeo oroque te, ut vel mea caussa valetudinem tuam diligentissime cures.

Ama me, ut facis, et vale. Romae. XVI. Kal. Septembr. MDLXXXI.

XL.

M. Antonius Muretus Iac. Augusto Thuano Consiliario Regio in Curia Parisiensi V. C. S. D.

(Epist. III, 53.)'

Parum abfuit, quin abiecerim consilium, quod ceperam, scribendi aliquid de laudibus clarissimi ac praestantissimi viri, patris tui; ita me eruditorum hominum versus, quos eodem argumento scriptos ad me misisti, deterruerant. Sed vicit voluntas obsequendi tibi; neque enim dubitabam, quin aequo animo quicquid a me scriberetur accepturus esses. Mitto igitur ad te aliquot versus, non illos quidem valde bonos, sed quales exspectari poterant ab homine neque unquam poëta et iam sene et tum suis, tum amicorum negotiis assidue implicato. Eos tu si semel lectos concerpere volueris, feceris quod merentur; sin una cum ceteris, quae alii scripserunt, edendos duxeris, eundem fortassis usum praestare poterunt, quem in pictis tabulis umbrae, quae efficiunt, ut luminosa magis emineant. Sed si editurus es, peto a te, quantum me amas, ut eos prius cum duobus tribusve probatissimis Sorbonici Collegii Theologis communices, ac si fieri potest, ab eis impetres, ut suum quoque de eis iudicium adscribant; ne quid imprudenti exciderit, quo quisquam offendi queat. Iam nunc enim subvereor, ne, quod poëtarum more Astraeam deam vocavi, durius id non satis aequus interpres accipiat. Ego tamen profiteor, Astraeae nomine nihil aliud a me quam divinam iustitiam intelligi; quo posito et cognito puto cetera ferri posse. Ignosce, quaeso te, timiditati meae. Satis multos ex illo collegio amicos habeo: inter ceteros Genebrardum, qui unus mihi est pro centum milibus. Is, ut spero, et tua caussa libenter et mea non invitus omnem nobis scrupulum eximet. Vale et perge, ut facis, patris tui desiderium tua singulari ac praestanti virtute lenire.

Romae Idib. Octobris (MDLXXXIII).

B.

COMMENTATIONES.

XLI.

De adolescentium mutua inter se aemulatione.

(Opp. T. III. Var. Lect. XIX, 21.)

Utilissimum praeceptum est adolescentibus, qui exercere se cum aequalibus suis volunt ad facultatem aliquam firmius comparandam, ne eos potissimum deligant, quibus se superiores esse cognoscunt, sed quo quisque maxime excellit, eo illum potissime provocent; lucta, saltu, cursu cum eis contendant, qui horum quodque optime facere putentur. Illud enim ostentare se cupientium est, hoc eorum, qui progredi quotidie longius et semet ipsis meliores fieri studeant. Itaque Cyrus, ut est apud Xenophontem, cum inter Medos iam paullo grandior educaretur, non iis, quae apud Persas didicerat, sed iis quae melius in Media discerentur, Medorum pueros provocabat. Neque recusabat, quo minus ad tempus ab eis vinceretur eisque ridiculo esset, dum eo paulatim perveniret, ut iis ipsis illos artibus, quibus pollebant, aut adaequaret aut etiam anteiret.

XLII.

De Marcello, Octaviae, sororis Augusti, filio.

(Comm. in Tac. Ann. Opp. T. IV. p. 23 ed. Ruhnk.)

Claudius Marcellus Octaviae, sororis Augusti, filius fuit, summae spei adolescens, et populo mirabililter carus. Adoptaverat eum Augustus, vixque pueritiam egresso Iuliam, unicam filiam, uxorem dederat. Allegerat etiam eum in collegium Pontificum, ut qui ipse Pontifex maximus foret. Honestaverat eundem aedilitate curuli, cum ipse undeci-

mum consulatum gereret; cumque aediles ludis, muneribus, venationibus aliisque spectaculis populo gratificari, magnosque sumptus in eiusmodi res facere solerent, multa insignia in aedilitate Marcelli populo exhibuerat, totum etiam forum a Kal. Augusti usque ad aestatis finem velis inumbraverat, ut litigantes salubrius consisterent; imperium denique ei relicturus putabatur. Sed cum eo ipso anno ita gravi morbo correptus esset, ut morti proximus haberetur, convocatis ad se principibus senatus, nonnullis etiam ex equestri ordine praecipuis, ita cum eis de re publica, quasi postremus ille sermo futurus esset, collocutus, nullo successore nominato, Pisoni quidem rationarium imperii, id est, libellum, quo rationes publicae continebantur, Agrippae autem annulum signatorium tradidit. Penetravit ea res altius Marcelli animum. Cum igitur Augustum ita deseruissent vires, ut nihil ne eorum quidem, quae maxime necessaria sunt, per se obire posset, exstitit medicus quidam, cui Antonio Musae nomen fuit, qui novo medendi genere, balneis frigidis et frigidae potu, pristinam ei firmitatem restituit. Magnis ob id praemiis et honoribus affectus tum ab Augusto, tum a senatu, disparem postea effectum artis suae in Marcello sortitus est. Qui cum alterum iam annum incommoda valetudine uteretur, ita tamen, ut non decumberet, tunc ingravescente morbo ab eodem medico eadem ratione curatus tandem in Baiano aedilis interiit. Doluit eius morte non princeps modo, sed senatus populusque universus. Corpus in urbem delatum magnificentissima funeris pompa in campo Martio crematum est. Deploratur illius mors a Virgilio luculentis versibus ad finem libri sexti Aeneidos. Servius ait, eum incidisse in morbum anno aetatis XVI., mortuum XVIII.

XLIII.

Semiramis quo astu ad regnum pervenerit.

(Var. Lect. VI, 17.)

Vafra imprimis et astuta ratione ad regnum ex humili et abiecta conditione pervenisse Semiramis dicitur. Quae historia cum haud ita multis nota sit neque Latinis, quod sciam, litteris prodita, referetur a me ita, ut scriptam in Graecorum commentariis reperi. Aiunt igitur, eam initio vernae cuiusdam regii ancillam atque concubinam fuisse. In quam cum aliquando incidisset rex Ninus, forma ipsius et lepore captus amare coepit. Obsecuta regi mulier ita eum sibi paulatim stupri consuetudine adstrinxit, ut nihil esset tantum, quod aut a rege petere non auderet Semiramis, aut petenti rex auderet negare. Ergo cum aliquando iniecisset in sermone, quiddam se valde cupere, rexque eam, quidquid tandem illud esset, aperte ac libere proferre iusisset, Cuperem, inquit, hoc mihi a te tribui, ut unum modo diem sedere mihi liceret in solio tuo et ius dicere, utque omnes toto illo die, quemadmodum tibi faciunt, ita mihi obtemperarent. Risit rex et quod petebatur concessit. Nec mora. Edicitur, ut certo quodam die omnes Semiramidi dicto audientes sint; ita regi placere, eam illo die regio imperio ac potestate praeesse omnibus. Ubi ille advenit dies, mulier regio cultu in solio assedit. Fit concursus maximus. Illa de principio experiendi caussa quaedam haud magni momenti imperat. Ubi serio omnes sibi omnibus in rebus parere vidit, iubet satellitibus ac stipatoribus corporis regii, ut regem ipsum comprehendant. Comprehenditur. Ut vinciant; vincitur. Ut interficiant; interficitur. Ita imperium ex diurno diuturnum efficitur. Haec est, quae Babylonem muris latericiis cinxit; cuius horti pensiles tantam admirationem habuerunt; quae cum equo concubuisse dicitur; quae postremo, cum filii quoque sui concubitum petiisset, ab eo trucidata memoratur.

XLIV.

Homerum et Aeschylum Athenienses, Tyrtaeum Lacedaemonii quo honore affecerint.

(Var. Lect. VI, 6.)

Homeri poëmata quanti fecerint Athenienses, quamque utilia esse ad inflammandos honestatis ac dignitatis amore animos iudicarint, hinc existimari licet, quod legem tulerunt, ut quinto quoque anno in Panathenaeis eius unius ex omni poëtarum numero carmina publice canerentur. Ita enim cogitabant: leges praecipere quidem, quid faciendum fugiendumque sit, sed propter brevitatem non docere; at poëtas, qui vitam hominum imitantes, res praeclare ac fortiter gestas, copiose exponerent, easque propemodum ante oculos constituerent, aptiores esse ad persuadendum. Similem autem honorem habuerunt Lacedaemonii Tyrtaeo. Cum enim ceteroqui a poëticis studiis alieni essent, neque poëtarum cantus libenter audirent, lege tamen constituerant, ut quoties cum hostibus dimicaturus in procinctu constitisset exercitus, convocarentur milites in tabernaculum regium ibique audiendis Tyrtaei carminibus ad spernendam pro patria vitam incitarentur. Aeschylo quoque idem prope honos a populo Atheniensi tributus est. Unius enim ex omnibus tragicis fabulae ipso etiam mortuo ut docerentur, decreto publico statutum erat.

XLV.

De lege quadam Persarum humanitatis plena.

(Var. Lect. VIII, 25.)

Multae olim apud Persas leges fuisse traduntur, ex quibus facile intelligi potest, singularem quandam eius gentis

sapientiam fuisse. Atque earum in unam nuper cum inciderim, quae neque multis, nisi me fallit animus, cognita est, et dignissima, quae cognoscatur ab omnibus, iudicavi non ingratum fore iis, qui haec legent, si eam hoc loco proponerem. Erat igitur apud eos ita constitutum, ut, cum quis in iudicio argueretur aliquid fecisse contra leges, etiamsi liquido constaret, eum culpae affinem esse, non tamen statim condemnaretur, sed prius inquireretur diligentissime in omnem illius vitam inireturque ratio, plurane turpiter et flagitiose an bene laudabiliterque gessisset. Tum si vincebat turpium numerus, condemnabatur, sin praeponderabantur honestis turpia, absolvebatur. Cogitabant enim humanarum virium non esse, rectum cursum perpetuo tenere; habendos pro bonis viris eos, non qui nunquam peccarent, sed qui saepius honeste agerent. Hanc ipsam legem ego ab iis quoque, quorum in manus hi libri venient, observari summopere cupio, ut ne statim eos reiiciant ac condemnent, si quid in eis a me peccatum deprehenderint. Nam si ratione fideliter inita maior τῶν ἐσφαλμένων ἢ τῶν κατωρθωμένων numerus fuerit, tum equidem, quin reiiciantur et sordeant, non recuso.

XLVI.

De quibusdam, qui piloso sunt corde.

(Var. Lect. XII, 10.)

Aristomenis Messenii, qui trecentos Lacedaemonios occiderat, quique et fortitudine et calliditate praestiterat, mortui cor hirtum et densa quasi silva pilorum obsitum repertum esse tradit Plinius. Idem de Lysandro Lacedaemonio, qui et ipse tum fortissimus tum astutissimus fuit, Graeci quidam memoriae prodiderunt. Ipse quoque memini, cum Venetiis essem, sumptum esse capitis supplicium de nobili quodam latrone, qui cum a carnifice dissecaretur, corde admodum piloso repertus est. Roboris quidam, astu-

tiae et calliditatis alii id esse argumentum volunt. Ab ingenti certe calore proficiscitur, quo qui abundant, ii et robusti esse et callidi solent. Itaque et eruditus et grandiloquus poëta, Nonnus, libro XXVI. Dionysiacon Sabiris populis ait esse cor densis vestitum pilis, ideoque audacissimos esse neque unquam in proeliis metuere.

XLVII.

De Catone puero.

(Comment. in Taciti Opp. Opp. T. IV. p. 20. ed. Ruhnk.)

Catonem ferunt, cum quatuordecim fere annos natus crebro in aedes Sullae a paedagogo duceretur videretque, illic multos torqueri, multos duci, multorum nobilium civium oblita cruore capita afferri, quaesiisse ex magistro, cur nemo reperiretur, qui Sullam interficeret; cumque is respondisset, eum ab omnibus metui, *Cur tu ergo*, inquit, *venienti huc mihi gladium non dedisti, ut patriam liberarem?* Nemone igitur vir erat, qui Catonis vixdum puberis animum indueret? Vere vetus ille Rhintonis versus de Romanis tunc dici potuit:

Οἱ μὲν παρ' οὐδέν εἰσιν, οἷς δ' οὐδὲν μέλει.

Alii quidem tanti non erant, ut quidquam magnum ac memorabile susciperent, alii autem negligebant.

XLVIII.

De coma Berenices.

(Comment. in Catull. Opp. T. II. p. 832. ed. Ruhnk.)

Poëmatis Catulliani de coma Berenices hoc fere argumentum est. Ptolemaeus cognomento Euergetes Berenicen seu Beronicen (utroque enim modo nomen hoc scriptum

reperio) Ptolemaei Philadelphi ex Arsinoë priore filiam, sororem suam, in matrimonio habuit. Neque enim ea coniunctio inhonesta Aegyptiorum legibus habebatur. Ea recens ducta contigit, ut expeditionem adversus Assyrios susciperet. In quam cum proficisceretur, vovisse crinem suum Veneri Berenice dicitur, si sibi vir suus sospes victorque rediret domum. Cuius devotionis suae cum, re praeclare a Ptolemaeo gesta, convictam se iudicio deorum immortalium videret, quo se religione exsolveret, crinem rite in Veneris aede appendit. Is cum postridie repertus non foret, magnoque ob eam rem rex reginaque in maerore essent, Conon, mathematicus ea tempestate excellens, persuasit ipsis, crinem deum numine sublatum in caelum et in sidus conversum fuisse; idque Callimachus, qui principem illum propter singulare bonarum artium studium numinis loco habebat, hoc poëmate complexus est. Principium autem continet insignem commendationem Cononis a praestanti caelestium rerum scientia.

XLIX.

De Thalete Milesio historia.

(Var. Lect. XII, 12.)

Thales Milesius magno vir et sublimi, ut notum est, ingenio fuit, multaque admirabilia cum in aliis disciplinis, tum in astrologia primus excogitavit. Is cum reperisset, quam rationem haberet magnitudo solis ad magnitudinem eius circuli, quem sol ipse annuo cursu metitur ac conficit, quoque modo id geometrica subtilitate demonstrari posset, eam rationem cum Prienensi quodam, homine et talium rerum curioso et divite ac copioso, communicavit. Qui et acumen Thaletis et inventi pulchritudinem admiratus, praemium a se illum, quantum vellet, optare iussit. *Nullum te*, inquit, *aliud praemium posco, nisi, ut ne tibi unquam huius inventi gloriam arroges, sed si quando eius alios participes*

facere volueris, auctorem illius esse me perpetuo profitearis. Non igitur contemnunt gloriam ne sapientissimi quidem, nedum nos, qui sapientes non sumus, aequo animo feramus, si quid a nobis interdum, ex quo laus aliqua possit existere, animadversum est, id iniuste atque impudenter ab aliis occupari.

L.

Historia de Pindaro poëta, multato a suis, ornato ab Atheniensibus.

(Var. Lect. IV, 1.)

Pausanias in Atticis narrat, Athenienses, quod a Pindaro in quodam asmate laudati essent, tanti fecisse ampli illius ac grandiloqui poëtae testimonium, ut et dona ei plurima ob id miserint et statuam in civitate sua statuerint. Non igitur mirum est, si illis temporibus multi ac praestantes poëtae fuerunt, cum, qui ea facultate excellebant, et maximis muneribus honestarentur et honoribus amplissimis mactarentur. Aetate nostra vocalis ille olim Musarum chorus conticuit, quaeque avaritia marsupia potentium clusit, eadem venas Heliconii liquoris obstruxit. Sed quod de Pindaro perstringit Pausanias, id fusius edisserit in quadam epistola Aeschines. Ait enim, illum cum Atheniensium urbem commendasset his verbis: *αἴτε λιπαραὶ καὶ ἀοίδιμοι Ἑλλάδος ἔρεισμ' Ἀθᾶναι,* multatum esse a civibus suis aegre ferentibus, alienis eum potius quam suis illam tantam laudem dedisse. Quod ubi rescivere Athenienses, confestim miserunt ei duplum eius pecuniae, quam multae nomine erat exactus, ipsumque aënea statua ornarunt. Ea statua visebatur Aeschinis aetate ante regiam porticum, sedens Pindarus cum pallio et diademate, lyram tenens et supra genua apertum librum.

LI.

De tribus clarissimis Graecorum poëtriis.

(Schol. in Propert. Opp. T. II. p. 923. ed. Ruhnk.)

Tres illae poëtriae veteres sunt Sappho, Corinna et Erinne; quarum de prima nihil dicere necesse est, non enim potest illa cuiquam ignota esse, nisi qui litteras nesciat. De duabus autem aliis, quoniam non aeque notae sunt, aliquid commemorare haudquaquam alienum fuerit. Corinnae igitur duae fuerunt, una Thespia, altera aut Tanagraea, utraque poëtica laude insignis, haec quidem ita, ut Pindarum quinquies vicisse tradatur. Sed Pausanias id eo factum putat, quod Pindarus Dorica lingua caneret, quae non satis intelligeretur ab Aeolibus, illa autem Aeolica; neque non illud ad conciliandam victoriam profuisse tradit, quod mulier esset omnium per id tempus formosissima. Erinnen autem Sapphonis aequalem et sociam fuisse accepimus, quae poëma scripserit, quod *Colum* vocavit, partim Aeolica dialecto, partim Dorica, trecentis versibus constans, tanta felicitate, ut eam cum Homero ex aequo contulerit antiquitas. Obiit autem virgo, annos habens undeviginti. Atque ut de Homeri, ita de huius quoque patria ambigitur. Sunt enim qui Teiam, sunt qui Teliam, sunt qui Lesbiam, sunt qui Rhodiam faciant.

LII.

Ciceronis locus e Sophocle expressus.

(Var. Lect. XI, 12.)

Praeclarum sapientiae praeceptum est, debere unumquemque nostrum maiorem curam habere eius temporis, quod post mortem nostram consecuturum est, quam brevis illius et exigui, quo in hac vita sumus. Itaque graviter et magnifice Cicero in quadam ad Atticum epistola, *Lon-*

gum, inquit, *illud tempus*, *cum non ero*, *magis me movet quam hoc exiguum.* Nam quod ita locutus est: *cum non ero*, in eo secutus est consuetudinem vulgi, non quod eos, qui ex hac vita migrassent, non amplius esse opinaretur. Quamquam autem haec sententia suapte sponte in mentem ei venire facile potuerit, tamen facile adducor, ut hominem eruditissimum et in Graecorum poëtarum lectione exercitatissimum cogitasse putem de loco Sophoclis, apud quem Antigone, cum fratrem insepultum iacere nollet et certo tamen sciret, si eum adversus Creontis edictum sepeliisset, sibi quoque moriendum esse, non tamen propterea absterretur ab illius pii erga fratrem muneris functione, cum dicat, multo longius esse tempus, quo se placere ac probari oporteat inferis, apud quos perpetuo futura sit, quam iis, qui in hac vita versantur. Verba ipsius haec sunt:

> *Φίλη μετ᾽ αὐτοῦ κείσομαι φίλου μέτα,*
> *Ὅσια πανουργήσασ᾽, ἐπεὶ πλείων χρόνος,*
> *Ὃν δεῖ μ᾽ ἀρέσκειν τοῖς κάτω τῶν ἐνθάδε·*
> *Ἐκεῖ γὰρ αἰεὶ κείσομαι.*

LIII.

De M. Agrippa.

(Comment. in Tac. Annal. Opp. T. IV. p. 24. ed. Ruhnk.)

M. Vipsanius Agrippa ita obscuro loco natus erat, ut eum gentis suae puderet. Itaque nunquam ipse se M. Vipsanium Agrippam vocabat, sed omisso nomine M. Agrippam, et si a quoquam aliter vocaretur, aegre ferebat. Sed ut semper reperiuntur homines, qui facere ac dicere, quod aliis aegre sit, etiam nulla mercede cupiant, fuit orator quidam, qui reum accusans, quem Agrippa defendebat, potentissimus tunc in civitate et nulli nisi Augusto secundus, eum nominans diceret: *M. Agrippa*, *et id*, *quod medium est*, cum Vipsanium vellet intelligi, majori acerbitate, quam si aperte elocutus esset, quod tegebat.

Hic igitur ignobilis quidem erat loco, sed bonus militia, neque Augustus in parandis victoriis meliori cujusquam aut fortiori opera usus est. Nam et eam classem, qua Sextus Pompeius inter Mylas et Naulochum victus est, instruxerat exercueratque Agrippa, et ipsius praecipue ductu pugnatum prospere est. Unde Augusto exprobrabat Antonius, stupentem eum adhuc et semisomnum non prius surrexisse nec militibus in conspectum venisse, quam Agrippa hostium naves fugasset. Itaque coronam navalem, qua nemo unquam Romanus donatus fuerat, nemo post eum donatus est, et caeruleum vexillum hoc bello singulari virtute meruit. Sed et in bello adversus Antonium in ore atque oculis classis Antoniae Leucadem expugnaverat, Patras ceperat, Corinthum occupaverat, bis ante ultimum discrimen classem hostium superaverat. Et in illo ipso proelio, quo vires Antonii conciderunt, omne clarissimi certaminis arbitrium penes Agrippam fuit. Sed cum ter consul fuerit, cur eum, victoriae socium, extulisse Augustus geminatis consulatibus dicitur? Nimirum quia primum consulatum non ab Augusto acceperat, sed a populo; at duo posteriores Augusti beneficia fuerunt. Tertium quidem consul illa tot in urbe maxima opera excitavit, quae, ut ait Seneca, et priorem magnificentiam vincerent et nulla postea vincerentur, Neptuni porticum, sudatorium Laconicum et illud nobilissimum Pantheon, in quo cum Augusti nomen vellet inscribere, eo recusante suum inscripsit. Hodie quoque in eius vestibulo illa cubitalibus prope litteris scripta visuntur: *M. Agrippa Cos. tertium.*

Evectus ad illam potentiam, cum et populo unice carus esset et apud milites auctoritate polleret, ut qui in castris simili atque Augustus tabernaculo uteretur, aeque atque Augustus militibus signum daret, iam ipsi, qui eum extulerat, Augusto formidulosus videri poterat; iam optandum erat, ut Agrippa secundo loco contentus foret. Putant autem, hoc observandum esse iis, quorum potentia non satis adhuc altas radices egit, ut fortes viros et a quibus imminere potest aliquid periculi, aut e medio tollant, ne quid

novarum rerum moliri possint, aut ita sibi devinciant, ne velint. Alterum honestius et humanius est, alterum tutius creditur. Itaque Maecenas, qui in intimis Augusti erat, ausus est ei dicere, eo rem esse perductam, ut Agrippa aut interficiendus aut gener faciendus esset. Et vidua tunc erat Marcelli morte Iulia, et non libenter vidua erat. Habebat tum Agrippa in matrimonio Marcellam, Octaviae, sororis Augusti, filiam, cum qua amanter concorditerque vivebat, et ex ea liberos susceperat. Sed Augustus, exorata sorore, ut sibi genero cederet, Agrippae, dimissa Marcella, Iuliam uxorem dedit.

LIV.

Moderata vivendi ratio quantum valeat ad vitam producendam.

(Schol. in Senec. Opp. T. III. p. 56. ed. Ruhnk.)

Quod a Seneca de Platone dicitur, eum sibi vitam moderata vivendi ratione produxisse, idem fere de Herodico Selymbriano memoriae proditum est et a Platone ipso et ab Aristotele et a Plutarcho. Et Galenus quiddam de se non absimile narrat. Eiusdem rei luculentissimum maximeque commemorabile exemplum vidi olim Patavii, Aloisium Cornelium Venetum, hominem splendidissimo genere natum eundemque amoenissimo ingenio et suavissimis moribus praeditum, cuius etiam libellus exstat de commodis, quae ex parca et moderata vivendi ratione capiuntur. Is cum anno fere quadragesimo ita profligata valetudine esset, ut a medicis prope depositus ac desperatus mortem potius quam vitam ad breve aliquod tempus aegre extracturus videretur, ita vitam instituere coepit, ut cibum ad pondus, potum ad mensuram sumeret, neque unquam ne tantulo quidem modum, quem ipse sibi praescripserat, excederet, modicis corporis exercitationibus uteretur, curas omnes procul ab se ablegaret, animum sermonibus amicorum aliisque honestis oblectationibus hilararet; quibus rebus id consecutus est,

ut et morborum expers vixerit et diu medicis suis superstes ad extremam senectutem pervenerit.

LV.

Tempori parce.

(Schol. in Senec. Opp. T. III. p. 24. ed. Ruhnk.)

Antiqui breves quasdam sententias, quibus multum sapientiae paucis verbis adstrictum contineretur, ad deum referebant auctorem. Eiusmodi fuerunt: *Nosce te ipsum; Deum sequere; Ne quid nimis*, eiusdem generis aliae. Fuit et haec in nobilissimis atque omnium sermone celebratissimis: *Tempori parce.* Mentio eius apud Ciceronem libro tertio de Finibus, apud Senecam epistola nonagesima quarta. Et quod ait princeps medicorum: *vitam esse brevem, artem vero longam*, non de medendi modo arte, sed et de sapientia, quae vivendi ars est, multo etiam verius dici potest. Zenonis est: *nulla re ita nos egere, ut tempore.* Nos autem ridicule de vitae brevitate querimur, partem eius multo maximam sine fructu effluere patimur. Et cum mortem nobis imminere sentimus, si quis se triduum aut quatriduum ad vitam nobis adiecturum profiteatur, omnia dare ac profundere parati sumus, cum saepe integros menses atque annos ita nobis eripi passi simus, ut si ex pleno ac redundanti et superfluenti aliquid nullius pretii largiremur.

LVI.

De forium aperiendarum ratione apud veteres Graecos.

(Var. Lect. I, 17.)

Quaesitum est ex me, cur in Plauti ac Terentii fabulis nunquam fere quisquam egrederetur domo, ut non

antea crepuisse fores dicerentur. Respondi, eas fabulas e Graeco conversas esse, iccircoque quarundam consuetudinum, quibus olim Graeci usi essent, impressa in eis exstare vestigia. Quod autem Romae antiquis temporibus M. Valerius, Poplicolae frater, honoris insigne habuisse dicitur, ut fores aedium ipsius, non introrsum trahendo, sed in viam publicam pellendo aperirentur, id quondam in Graecia vulgatum fuit, omnesque omnium aedium fores eo modo pandebantur. Quoniam igitur periculum erat, ne quispiam, qui aut praeteriret aut pro foribus staret, ab impulsa ianua pelleretur, ideo qui exituri erant domo, solebant prius ipsimet intrinsecus fores aedium suarum percutere, ut illo strepitu admonerentur, qui foris serant, cavere sibi atque eatenus absistere, ut ne laederentur. Hoc a Plutarcho memoriae proditum est.

LVII.

Plenus auferendi casui saepe Cicero adiunxit, contra atque Victorio placuit.

(Var. Lect. XVII, 4.)

Quiddam valde minutum ac pusillum notavit Victorius capite XVII. libri XXVI. Variarum Lectionum: Ciceronem semper, cum potest, coniungere nomen *plenus* cum patrio generandique, nunquam autem cum sexto, nisi necessitate quadam casu coactum, cum tamen hac altera constructione et Varro et Caesar utantur. Profert autem locum unum ex Accusatione, ubi Cicero ab illa sua consuetudine recessit ita scribens: *Verres ornamentis fanorum atque oppidorum habeat plenam domum;* sed eum excusat, quod insuavis futura erat oratio, si dixisset *ornamentorum,* propter duas contiguas voces eodem modo desinentes. Ego aliam caussam affero, quod, si dixisset *ornamentorum*, videri poterat dicere, tribus generibus rerum plenam esse Verris domum, ornamentis, fanis

et oppidis. Nam si nihil aliud obstâbat Ciceroni, quam quod ait Victorius, ne illam consuetudinem suam retineret, poterat pro *plenam* dicere *refertam*. Sed non solent politi et eruditi scriptores ea nomina, quorum unum ex alio pendet, uno et eodem casu, genere ac numero ponere, quod ea res ambiguam, obscuram, insuavem orationem facit. Itaque *ornamenta fanorum* recte dixeris; sin, cum illud dicere velles: magnam fuisse multitudinem eorum, qui fanorum ornamenta exspectarent, dixeris, magnam fuisse multitudinem spectatorum ornamentorum fanorum, nescire te loqui etiam pueri dicent. Atque hoc est, quod rhetores monent, casibus, generibus et numeris distingui debere orationem. Quod ut magis intelligatur, removeamus alteram ex illis duabus vocibus, ut sit: *ornamentorum fanorum plenam domum;* aeque inepta erit oratio. Non igitur quod tres voces eodem modo terminarentur, eo ita loqui Cicero noluit, sed propter eam, quam modo exposui, caussam. Ea enim sublata, coniunctio non trium modo, sed et plurium similiter desinentium vocum vitii nihil habitura est. Cicero in Miloniana: *Scutorum, gladiorum, frenorum, sparorum pilorumque etiam multitudo deprehendi posse indicabatur.* Vides, quam illa similiter desinentia non fugiat? Addit homo eruditissimus, sed certe interdum minus accuratus, quam par erat, invenisse se etiam alterum locum in Ciceronis scriptis, in quo ille a consuetudine sua discesserit, neque se tantae consilii mutationis caussam afferre posse, nisi aliquis putet id natum ab animi perturbatione magna, qua tunc premebatur. Esse enim in tertio libro Epistolarum ad Atticum, quas scripsit, cum patria expulsus foret; illic igitur ita scripsisse: *Ex tuis litteris plenus sum exspectatione de Pompeio, quidnam de nobis velit aut ostendat.* Quid non in animis hominum efficit doloris acerbitas? Ita perturbatus erat Cicero, quod patriae, quod uxoris, quod liberorum adspectu careret, ut, cum consilium cepisset nominis *plenus* nunquam nisi urgente necessitate cum sexto casu coniungendi, in tanta re imprudens consilium muta-

verit, et non *exspectationis*, sed *exspectatione plenum* esse se scripserit. Sed tamen hoc patrono effugiet quoquo modo inconstantiae notam. At hoc quomodo excusabimus, quod scriptum est in oratione pro Sextio: *Otiosa vita, conferta et plena voluptatibus?* Quid hoc ex libro tertio de Finibus: *Eo beatior quisque, quo sit corporis aut externis bonis plenior?* Quid alia eiusdem generis multa? Cogitationem hanc suscipiat alius; nam mihi quidem nil occurrit, quo tantam consilii mutationem excusare posse videar.

LVIII.

De mira quadam dierum concursione.

(Comment. in Taciti Annal. Opp. T. IV. p. 52. ed. Ruhnk.)

Tacitus de Augusto mortuo haec commemorat: *Multus sermo, plerisque vana mirantibus, quod idem dies accepti quondam imperii princeps et vitae supremus.* Quasi caussa ulla fuerit, cur eo die mori non deberet, aut mirandum sit, ullo die evenisse, quod nullo non potest. Eodem iure mirari poterant, quod Augustus Augusto mense mortuus foret, obiit enim XIV. Kal. Sept., et quod non paullum etiam exspectasset, ut mense Septembri natus eodem mense moreretur, ut hoc quoque referretur inter miranda. Admirabilis videri poterat, quod cum Quirini templum dedicaret, septuaginta sex columnis illud ornaverit, quasi totidem se annos victurum esse divinans. Sed admiratio in aliis sapientiae initium, in aliis stultitiae indicium est. Sic mirati sunt olim quidam, quod, qua nocte Alexander Magnus natus est, eadem templum Dianae Ephesiae conflagrasset, quasi haec quiddam inter se commune haberent. Sic quosdam ipso natali die suo mortuos esse mirantur, quod olim Antipatro Sidonio poëtae, patrum memoria Raphaëli Urbinati, pictori eximio, contigit, quasi non quotidie nascantur homines, quotidie intereant. Sic Henrico II., Gallorum regi, idem dies et vitae et imperii princeps fuit. Natus

enim pridie Kal. Aprilis eodem die patri successit in regnum. Sic Carolus V. die natali suo coronatus est imperator, et die item natali suo nobilissimam de Francisco I., Gallorum rege, victoriam ad Ticinum consecutus. Qui talia mirantur, nunquam eis, quod mirentur, defuturum est. At mihi magis mirandum videtur reperiri, quibus haec miranda videantur, nisi scirem, stultum esse, si quis magnam stultorum multitudinem esse miretur. Sed quo modo idem dies accepti quondam imperii princeps et vitae supremus Augusto fuit? Certe post Actiacam demum pugnam, qua profligatus est Antonius, summum orbis terrarum imperium accepit. At pugna illa pugnata est IV. Kal. Septembr., Augustus autem non IV., sed XIV. Kal. Septembr. inter homines esse desiit. Sed hoc, quod dicit Tacitus, referendum est ad primum consulatum Augusti, quem ipse in locum C. Vibii Pansae iniit XIV. Kal. Septembr.

LIX.

Aeris Corinthii temperatura quomodo inventa.

(Var. Lect. III, 5.)

Super aere Corinthio, quaenam illius origo fuerit, varia tradita sunt ab antiquis. Plinius casu mistum esse ait, Corintho, cum caperetur, incensa. L. quoque Florus eandem sententiam sequitur, a quo ita hac de re scriptum est: *Aeris notam pretiosiorem ipsa opulentissimae urbis fecit iniuria, quia incendio perustis plurimis statuis atque simulacris, aeris, auri argentique venae in commune fluxere.* At alii unam modo antiquis temporibus domum Corinthi arsisse dicunt, in qua cum auri argentique nonnihil inesset, aeris autem magna vis, commista illa et in eandem confusa massam ex eo metallo, cuius maior inerat pars, Corinthii aeris nomen acceperint. Alii etiam, quod propius ad veri similitudinem accedere videtur, narrant, aerarium quendam fabrum Co-

rinthi fuisse, qui, cum incidisset in thecam auri plenam eamque sibi abstulisset, ne id resciretur, metuens, dissectum in minutas particulas aurum paullatim aeri admiscuerit admirabilemque illam temperaturam effecerit, qua magnas sibi opes postea comparavit.

LX.

Sorores uxores ducere num apud Athenienses licuerit.

(Var. Lect. VII, 1.)

Perelegans exstat Aemilii Probi ad T. Pomponium Atticum libellus, quo Graecorum imperatorum vitae mundissimo ac castissimo orationis genere explicantur. Eum nuper cum animi caussa evolveremus, in ipsa statim praefatione quiddam deprehendimus, quod sane mirati sumus. Negat enim, Cimoni, summo Atheniensium viro, turpe fuisse, sororem germanam habere in matrimonio, quippe cum cives eius eodem uterentur instituto. Ego vero de Persis et aliis quibusdam barbaris nationibus saepe id legeram, de Atheniensibus nihil tale, nisi ab eo, memineram proditum esse. Itaque cum attentius de eo cogitare coepissem quasique excutere memoriam meam, recordatus sum loci cuiusdam ex oratione, quam antiquissimus et nobilissimus orator Andocides adversus Alcibiadem habuit, qui ex diametro, ut aiunt, cum eo, quod ab Aemilio dicitur, pugnat. Ostendit enim, eam ipsam fuisse caussam, cur Cimon in exsilium missus sit, tamquam legum contemptor; neque quidquam ei profuisse, quod et ipse Olympia vicisset et pater. Veteres enim illos non certaminum aut victoriarum, sed legum et institutorum in iudicando habuisse rationem.

LXI.

De callidissimo adulationis genere.

(Comm. in Tacit. Ann. Opp. T. IV. p. 49 ed. Ruhnk.)

Plutarchus in commentariolo, quo docet, *quomodo adulator ab amico internosci queat*, senatorem narrat quendam fuisse, qui olim, cum Tiberius in senatu praesens adesset, surrexit ad dicendum et, composito ad severitatem vultu, *Enimvero*, inquit, *liberos homines libere loqui oportet neque quidquam reticere eorum, quae ad rem publicam pertinere iudicant, vel cum periculo offensionis*. Adstitere erectis animis omnes, et taciti, quid hic tam libere loquax dicturus esset, exspectabant. Desitum iam pridem orationis genus ipsum quoque Tiberium adverterat. Tum ille, *Audi*, inquit, *Caesar, quid sit, quod omnes nos tibi succensemus, neque tamen quisquam libere dicere audet.* Cohorruerant omnes dubitantes, quo tandem evasurus esset. At ille, *Negligis*, inquit, *temet ipsum (dicendum enim libere est) neque corporis tui curam ullam geris; maceras te assidue curis ac laboribus caussa nostra susceptis, neque interdiu neque noctu conquiescis.* Talia multa continuante ac contexente illo, Cassius Severus ad eos, qui sibi adsidebant, conversus, *Quam metuo*, inquit, *ne illa libertas huic homini exitiosa sit.* Sed ego saepe notavi talem libertatem in multis principum virorum familiaribus, neque tamen, quae principum lenitas est, eam unquam cuiquam exitiosam fuisse cognovi. E multis autem adulationis generibus nullum puto esse, quod aut facilius fallat aut altius penetret.

LXII.

De Philoxeno poëta.

(Comment. in Aristot. Ethica Opp. T. III. p. 298. ed. Ruhnk.)

Fuit Philoxenus, genere Cytherius, poëta, scripsit dithyrambos et poëma, quod inscripsit *δεῖπνον*, quo lauta edulia et

instruendi apparandique convivii rationem exposuit. Hunc narrant non tantum ipsum studiosum fuisse laute opipareque vivendi, verum etiam curam adhibuisse, ut cives sui bene conditis epulis vescerentur. Itaque eiùs rei caussa quotidie cum lavisset, urbem circuibat, comitantibus pueris, vinum, oleum, acetum aliaque ad cibos condiendos necessaria ferentibus, et singulorum domos ingrediens inspiciebat, quid cuique in cenam paratum esset, ac, si quid minus recte conditum erat, ipse de suo condiebat. Tum ita lustrata urbe, domum reversus epulabatur. Hic cum aliquando Ephesum venisset ac forum cupedinarium vacuum offendisset, percontatus quid esset rei, cum accepisset, quidquid erat obsoniorum, in aedes cuiusdam, qui nuptias celebrabat, delatum esse, ipse quoque, quamquam et hospes et invocatus, eodem ad prandium profectus est, et cum ceteris accubuit. Cumque dominus epuli eius ingenio delectatus dixisset: *Philoxene, numquid cras quoque nobiscum epulaturus es? Etiam,* inquit, *si, ut hodie, nihil erit in macello.* Adhibitus ad mensam aliquando a Dionysio tyranno, cum ipsi quidem Dionysio ingentem mullum, sibi autem multo minorem appositum videret, suum a patina sublatum ad aurem admovit simulavitque, quasi quiddam ex eo percontaretur. Quaerenti caussam Dionysio, *Ego,* inquit, *o rex, poëma quoddam de Galatea scribo; quare quaerebam ex hoc pisce quiddam de Nereidibus, quo poëma meum exornarem. Sed ipse iuniorem se captum ait, quam ut illa per aetatem cognoscere potuerit; e grandiore illo, qui tibi appositus est, si quaeram, illum mihi facile ea, quae volo, explicaturum.* Conversus in risum Dionysius piscem, qui sibi appositus erat, ad Philoxenum misit. Ab hoc tamen ipso tyranno coniectus est in latomias, cuius rei haec caussa a Plutarcho traditur libro de Fortuna et Virtute Alexandri. Dionysius ipse quoque poëmata scribebat, eaque, cum inconcinna et illepida essent, optima videri volebat. Cum igitur tragoediam quandam scripsisset, eam Philoxeno inspiciendam dedit, ut corrigeret, si quid forte corrigendum videretur. Ille vero una litura totam emen-

davit. Indignatus Dionysius compegit eum in illum carcerem, quem modo nominavi. Unde tamen postea liberatus, cum iterum Dionysium audiret sua poëmata recitantem, adulantibus et plaudentibus ceteris, exsurgens ipse, *Mitte me*, inquit, *denuo in latomias; illic enim aetatem degere satius est, quam tam mala poëmata audire.*

LXIII.

Sententiam illam: **Patria est, ubicunque bene est,** acute a Lysia reprehensam.

(Var. Lect. II, 3.)

Quod in vetere tragoedia Telamonis filius Teucer dixisse traditur, patriam esse cuique, ubicunque cuique esset bene, id etsi pulchre ac sapienter dictum videtur profectumque ab animo excelso et despiciente omnes acerbitates, quas homini obiicere fortuna posset, graviter tamen et vere reprehensum est ab oratore prudentissimo et acutissimo, Lysia, demonstratumque, eam sententiam hominis esse de suis tantum commodis solliciti neque ad civilem communionem apti. Non enim valde laborabit, quid patria sua fiat, quicunque eo erit animo, ut illius caritatem opportunitatibus suis metiatur. Solum ipsum, cui primum institit, et caelum ipsum, unde primum spiritum duxit, diligat oportet qui se bonum civem perhiberi vult; aut si forte, cum alibi natus esset, civitate donatus est, eam imbibat opinionem, ut, nisi civitati bene sit, ne sibi quidem putet bene esse posse. Itaque Ulixes, ut est in fabulis, cum apud Calypsonem posset in omnibus deliciis vivere, tamen illam asperam et lapidosam patriam suam anteposuit etiam immortalitati, non ita facturus, si illam, quam diximus, Teucri sententiam approbasset. Igitur dictum illud Teucri bonum quidem virum aliquando fortasse non dedeceat, bonum certe civem non decet. Est apud Ovidium sententia quaedam non valde

dissimilis, nisi quod latius patet; ita enim apud eum Carmenta:

Omne solum forti patria est, ut piscibus aequor,
Ut volucri, vacuo quicquid in orbe patet.

LXIV.

Poëtarum et apum comparatio.

(Var. Lect. VIII, 1.)

Libenter ac saepe faciunt poëtae, ut se quidem apibus, studium autem suum mellificio cuidam comparent. Neque, si quis diligenter inspiciat, parum multa utrisque inter se similia reperientur. Apes in struendis operibus suis naturam tantum magistram sequuntur, artem non adhibent. Sic et poëtae natura tantum valent, arte si qui se poëtarum nomen tueri posse confidunt, eos gravissimus auctor Plato pronuntiat nihil unquam egregium ac memorabile effecturos. Itaque Pindarus eo se gloriatur adversariis suis, Bacchylide nimirum et Simonide, esse superiorem, quod ipse natura poëta sit, illi autem didicerint a magistris; in quo tantum esse vult, ut eo potissimum nomine se aquilae, illos corvorum similes esse dicat.

Apes, nisi irritentur, innocuae sunt; irritatae figunt aculeis eos, a quibus laesae sunt, et acerbissimos eis dolores infligunt. Idem poëtis ingenium. Nulla, ubi non laeduntur, innocentior hominum natio; lacessiti ita se ulciscuntur, ut interdum eos, quibus offensi erant, ad mortem adegisse narrentur. Nam praeter id, quod de Archilocho accepimus, novi ego, qui hac aetate tantum versibus suis inimico dolorem inusserit, ut ex eo ille sit mortuus. Neque non hoc de se ipsis poëtae praedicant. Quocirca Plato in Minoë praecipit iis, qui bonae famae studiosi sunt, ut diligenter caveant, ne cum poëtis inimicitias suscipiant.

Apes e variis floribus succum exprimentes opus dul-

cissimum conficiunt. Poëtae quoque vagantes per hortos illos Gratiarum et Veneris, de quibus est apud Pindarum, et ex iis bellissimum quodque carpentes ea concinnant carmina, quibus ne mel quidem ipsum mellitius videri potest.

LXV.

Otium et negotium.

(Schol. in Cic. Offic. Opp. T. III. p. 822. ed. Ruhnk.)

Magni et sapientes viri ne tum quidem otiosi sunt, cum otiosi videntur. At contra stulti et insipientes tum quoque nihil agunt, cum vel maxime videntur occupati. Multi sunt, quos cum videas huc illuc cursitantes, semper properantes, semper anhelantes, modo suis, modo alienis negotiis impeditos, nihil eis esse occupatius credas. At si recte rationem ineas, otiosos esse atque ignavos iudicabis. Nam quae pars in homine praecipua est, ea in illis quasi torpore quodam ac veterno oppressa perpetuas ferias agit. Nihil magnum ac sublime cogitant, nunquam animum ad caelestia attollunt, nihil aeternum atque immortale intuentur, mentem, qua nihil celerius est aut vegetius, per inertiam ac desidiam torpescere patiuntur. At sapiens, cum a turba secessit, cum occlusis foribus vindicavit se sibi, cum ab arbitris et ab interpellatoribus liber alto ac pingui otio frui videtur, tum maxime humana divinaque omnia mente ac cogitatione percurrit, et praeclaris seque dignis occupationibus involutus ea semper meditatur et tractat, quae non uni aut alteri, sed omnibus, neque iis modo, qui nunc sunt, sed etiam posteris prosint. Neque vero tunc solus est, qui omnis aevi optimos ac sapientissimos quosque intuens et aliorum facta dictaque in memoriam revocans, aliorum libros pervolutans, non minus eorum virtute ac sapientia fruitur, quam si vivorum ac spirantium sermonibus interesset. Non igitur magnificentius quam verius dici potest, tales

viros nunquam minus otiosos esse, quam cum otiosi, nunquam minus solos, quam cum soli videntur.

LXVI.

Brevitatem et obscuritatem aptam esse ad terrorem inferendum, aliquot exemplis confirmatum.

(Var. Lect. V, 18.)

Brevitas loquendi et sermonis obscuritas imperiosum quiddam habet, ideoque aptissima est minantibus utraque, mirificeque prodest ad animos eorum, quibuscum agimus, perterrefaciendos. Nam ut in tenebris magis timentur omnia, quam in luce, sic illae orationis quasi tenebrae terribiliora reddunt ea, quae proponuntur. Idque, ut opinor, secuti sunt Lacedaemonii, cum ad Philippum ita scripserunt: *Lacedaemonii Philippo. Dionysius Corinthi.* Multo enim fortior et, ut Lucretii verbo utar, penetralior illa brevitas fuit, quam si ita dixissent: Dionysius cum aliquando praepotens tyrannus fuerit, uti tu es, nunc tamen regno exutus privatam Corinthi vitam agit. Vide, ne, dum aliorum libertatem studes opprimere, idem tibi quoque contingat. Quae iam non deterrere, sed admonere cupientium fuisset oratio. Neque dissimile illud Dionysii ad Locrenses: *Faxo cicadae apud vos humi canant*, cum significaret, totam a se illorum regionem devastatum iri. Ateas quoque, Scytharum rex, hanc olim epistolam ad Byzantinos misisse fertur: *Nolite vectigalibus meis detrimento esse, ne equae meae ad vos aquatum eant.* Idanthuras autem, qui et ipse Scythis regio imperio praefuit, multo etiam obscurius. Nam ad Darium, qui Istrum traiecerat, litteras quidem, quibus ei minaretur, misit nullas, sed pro litteris symbolum hoc: *murem, ranam, avem, sagittam, aratrum.* Cumque haec in Darii castris alius aliter interpretaretur, Orontopagas, tribunus militum, censuit significari, eos om-

nium rerum deditionem esse facturos; domorum: hoc murem innuere; aquarum, aëris, armorum, regionis: harum rerum symbola esse ranam, avem, sagittam, aratrum. At Xiphodres longe alio modo interpretatus, Nos vero, inquit, quantum haec symbola ostendunt, nisi aut terram subeamus, ut mures, aut aquam, ut ranae, aut evolemus, ut aves, non effugiemus ipsorum tela; neque enim terrae, quam ipsi arant, domini sumus. Hoc Pherecydem Syrium narrare ait Clemens Alexandrinus. Herodotus autem in Melpomene hanc ipsam historiam aliquanto aliter narrat.

LXVII.

Iphicratis multa dicta, quibus elatus et excelsus ipsius animus ostenditur.

(Var. Lect. VIII, 22.)

Rerum bellicarum gloria non aetatis modo suae imperatores vicisse, sed superiorum etiam quemlibet adaequasse Atheniensis Iphicrates dicitur. Idemque eloquentiae studiis deditus fuisse, et cum saepe dixisse in publico, tum ostentationis quoque gratia domi nonnunquam declamitasse perhibetur. Erat autem excelso vir et elato animo, quique de se interdum magnificentius quam vulgi aures libenter ferre possent, praedicaret. Itaque cum orationem de statua sibi ab Atheniensibus posita adversus Harmodium quendam e veteris illius tyrannicidae posteris haberet, multa dixit de se ipso animose et prope arroganter; ut Dionysius Halicarnasseus non alio magis argumento refellerit eos, qui orationem illam Iphicrati a Lysia scriptam esse dicebant, quam quod a Lysiae moderatione nimium longe abesset. In ea hoc dixit, quod adversarius generis sui nobilitatem extollens illius obscuritatem et ignobilitatem exagitaverat: *ut quisque virtute maxime praestaret, ita nobilissimum esse. Nam ne Harmodium quidem et Aristogitonem nobiles fuisse prius,*

quam praeclarum aliquid designassent. Item illud: *se maiorem habere cognationem cum illis, quam ipsum illum, quocum contenderet, quo sua, quam illius facta propius ad eorum gloriam accederent.* Et: *Meorum nobilitas a me incipiet, tuorum in te desinet.* Quae omnia imitatus est, quicunque scripsit declamationem in Sallustium. Sed et ex eadem oratione haec reperi: *Si qualis ego sum, tales vobis septem imperatores fuissent, deserta iam esset et inculta Lacedaemon.* Et cum de Harmodio et Aristogitone ageret, *Quorum,* inquit, *ego si temporibus fuissem, aut assumpsissem eos ad societatem praeclari illius operis, aut ipse ab eis adscitus essem. Et: Vos fortasse, Athenienses, istam mihi columnam et istas in ea inscriptas litteras praeclarum quiddam et gloriatione dignum a vobis contigisse arbitramini. At mihi columna caelum attingens in Peloponneso virtutis meae testis constituta est.* Haec postrema quibus verbis Graece pronuntiata sint, si quis videre cupit, reperiet apud Aelium Aristidem ἐν τῷ περὶ τοῦ παραφθέγματος.

LXVIII.

Unus pro millibus, a Democrito primum dictum videri.

(Var. Lect. XVI, 5.)

Non numerandas, sed ponderandas esse sententias, saepe a sapientibus dictum est, plurisque faciendum esse unius gravis et cordati viri iudicium, quam imperitam multitudinem, cui probari ac placere olim a peritis musicis argumentum habitum est κακοτεχνίας. Ex quo proditum etiam est litteris, Periclem, si quando plaudentem sibi coronam videret, metuere solitum, ne quid peccasset, neu quid plus minusve dixisset, quam oportebat. Et laudatur Antimachus, qui, cum grande illud suum poëma recitans ab omnibus, praeterquam a Platone, relictus esset, *Legam,* inquit, *nihilo-*

minus. Plato enim mihi unus instar est multorum millium. Neque non illud Epicuri generosum ac magnificum est, qui ad Metrodorum scribens, et parvi tum sibi, tum illi facienda esse vulgi iudicia disserens, *Satis magnum*, inquit, *uterque alteri theatrum sumus.* Sic Cicero, dum Catoni probaretur, aliorum iudicia non extimescebat. *Cato ille noster*, inquit, *qui mihi unus est pro centum millibus.* Et alibi de Peducaeo, *Tu vero*, inquit, *leges Sexto, eiusque iudicium mihi perscribes. εἷς ἐμοὶ μύριοι.* Cum autem Graeca illa verba alicuius veterum esse constet, neque quisquam adhuc, quod sciam, cuius sint, prodiderit, non alienum putavi testari, quid de illis opiner. Suspicor igitur Democriti esse, cuius hoc dictum refertur a Seneca: *Unus mihi pro populo est, et populus pro uno.*

LXIX.

De Arimaspis, cur dicti sint unum tantum oculum habere. Item de populis, apud quos pueri oblongo capite nascuntur.

(Var. Lect. XII, 8.)

Homines esse quosdam in Scythia tradiderunt ex antiquis nonnulli, qui unum tantum in media fronte oculum haberent. Arimaspis nomen est, quos et Aeschylus ex eo *μονῶπας* vocat. Ipsum quoque Arimasporum nomen ex re illis inditum putant. Scythica enim lingua *ari* unum esse, *maspon* oculum. Sed quibus curae fuit veritatem rerum diligentius indagare, eam gentem arcu et sagittis excelluisse memorant, quas cum dirigerent alterumque, ut fit, oculum clauderent assiduique in eo studio essent, dicti sunt uno tantum oculo uti. Fortassis etiam, quod ei rei a pueris adsuefierent, alterius oculi orbe erant contractiore, versaque paulatim, ut saepe accidit, in naturam consuetudine patrum similes filii nascebantur, quaeque in patribus deformitas

ex oculorum inaequalitate ἐπίκτητος et adventicia, eadem in filiis innata atque insita erat. Ita certe de quibusdam in Asia populis gravis auctor Hippocrates narrat; cum apud eos pulchrum haberetur oblongo capite esse, ob idque nutrices recens editorum infantium tenella capita manibus contrectando ac comprimendo globosam et orbicularem figuram corrumperent, eaque fastigiarent ac fasciis etiam adstricta in acumen crescere cogerent, paulatim studium in naturam vertisse, ut omnes ea in gente oblongis capitibus nascerentur, ex eoque Macrocephalos vocari. Idem et hodie, serio an ioco, de gente quadam in Italia dicitur.

LXX.

De Horatio Coclite Senecae narratio, ab aliis praetermissa.

(Var. Lect. XIX, 18.)

Observatione dignum arbitror, quod cum P. Horatius Cocles in ponte sublicio solus impetum hostium excepisset, rescissoque ponte incolumis tranasset ad suos, gratus erga tantam virtutem populus Romanus fuit, et praeter statuam aheneam in comitio positam tantum ei agri, quantum uno die circumarasset, dedit, cum in modicis opibus necesse esset modica esse magnarum virtutum praemia. Sed illud quoque memoratu dignum est, eum illud ipsum quantulumcunque praemium accipere noluisse, non quod aspernaretur ut parum, sed quod inutilem rei publicae civem esse duceret, qui ob operam publice navatam opulentior esse aliis civibus vellet, ac non potius in ipsa recte facti conscientia et in caritate ac benevolentia civium suorum satis sibi magnum praemium poneret. Hoc tamen neque a Livio neque a Dionysio neque a Plutarcho ponitur; quin potius ii omnes ita loquuntur, ut ab eo acceptum fuisse praemium significent. Seneca tamen, alios videlicet

auctores secutus, aliter narrat; cuius verba subiiciam e capite septimo libri septimi de Beneficiis: *Illam alteram possessionem agnoscet, hanc nolet habere, etsi poterit; emittetque illam vocem, quam Romanus imperator emisit, cum illi ob virtutem et bene gestam rempublicam tantum agri decerneretur, quantum arando uno die circuire posset. Non est, inquit, vobis eo opus cive, cui plus opus sit, quam uni civi.* Haec Seneca; qui quamquam Coclitem non nominat, et eum, de quo loquitur, quod in Coclite mirum videri potest, Romanum imperatorem vocat, *Coclitem* tamen intelligere videtur. Sed et in veterum Galliae regum annalibus egregia facta perexiguis olim praemiis decorata legimus, non quod minoris fieret virtus, sed quod avidiores tunc homines gloriae, minus avidi pecuniae forent, gloriamque suam contaminari ac polhui crederent, si quod aliud praemium acciperent, nisi tam leve, ut appareret, eos non id quaesiisse. Sic antiquis temporibus victores sacrorum certaminum non auro ac gemmis nitentem, sed pineam aut oleaginam coronam ferebant, quae virtutis non praemium, sed indicium esset. Nostra aetas virtutem gratis colere desiit, versaque vice exigua hodie lenonibus praemia videntur, quae olim exercituum ductoribus nimis magna visa essent.

LXXI.

Lysiae stilus. Elegans Platonis librorum de Rep. initium.

(Var. Lect. XVIII, 8.)

In scriptoribus pectendae ac comendae orationis studiosis ea ipsa nonnunquam, quae sponte fusa omnibus viderentur, summo studio elaborata et expolita sunt. Quod ego mihi saepe in Lysia observasse videor, ut cum verbis plerumque quotidianis utatur, structura tamen et collocatio eorum nullo modo mutari queat, quin aliquid de gratia

et suavitate orationis deteratur. Tantum apud peritos artifices in ipso singularum vocum ordine et coniunctione momenti est. Audivi a maximis viris, quique id facillime nosse poterant, Ludovicum Ariostum, nobilissimum nobilissimae domus praeconem, in duobus primis grandioris illius poëmatis sui versibus plus, quam credi potest, laborasse, neque sibi prius animum explere potuisse quam cum illos in omnem partem diu multumque versasset. Idem accidit et nobilissimo Etruscorum poëtarum, Francisco Petrarchae, cuius ex autographo, quod habuit vir praestantissimus Petrus Bembus, facile cernitur, eum in limando secundo item poëmatum suorum versu saepe sudasse. Sed hoc in poëtis fortasse minus mirum est, qui verba dimetiuntur omnesque lepores ac festivitates dicendi aucupantur voluptatique lectorum se vel maxime servire profitentur. Iustius id aliquis in Platone miretur, cuius post mortem repertas fuisse tabulas dicunt, in quibus principium librorum de Republica, quo nihil videtur esse simplicius, iisdem vocibus, sed alio atque alio ordine collocatis, saepius ab eo variatum viseretur. Auctor huius rei Dionysius Halicarnasseus. Narrat idem et M. Fabius libro octavo Institutionum.

LXXII.

De arte simulandi et dissimulandi.

(Comment. in Tacit. Opp. T. IV. p. 62. ed. Ruhnk.)

Nullum unquam principem fuisse simulandi ac dissimulandi peritiorem Tiberio, omnes summo consensu historiarum scriptores praedicant; et multi in ea sunt sententia, ut eam unam esse ex praecipuis regum ac principum laudibus putent. De quo tamen varie disputari potest. Nihil enim tam servile videtur quam mentiri; unde et eos, qui vere et aperte loquuntur, neque quidquam reticent, *libere loqui* dicimus. Achilles certe, qui ingenio vel maxime regio

fuisse perhibetur, et apud Homerum et apud Euripidem ait, eum sibi morte odiosiorem esse, qui aliud sentiat, aliud loquatur, seque id negat ullo modo aut facere aut alium facientem probare posse. Neque a patre degenerat Neoptolemus ille Sophocleus, qui cum Ulixis suasu Philocteten fallere coepisset, redit statim ad ingenium et tegere, quae vera erant, non potest. Sed tamen negari non potest, quin simulatio et dissimulatio saepe principibus necessaria et in eis summe commendanda sit. Etenim si princeps apertus sit et simulandi ac dissimulandi imperitus, omnia illius consilia patescent; quo nihil perniciosius est, aut maiori ad res gerendas impedimento. Laudatur dictum Q. Metelli Pii, qui interrogatus, quid postridie facturus esset, *Tunicam,* inquit, *meam comburerem, si putarem ab ea consilium meum detegi posse.* Et Francisco I., Galliarum regi, omnibus prope virtutibus regiis praedito, nihil magis obstitit, quam quod nimis aperte et libere, quid in animo haberet, eloquebatur, ita ut cogitationes ipsius prius interdum ad hostem, quam ad ipsius consiliarios perferrentur. At alius quidam e regibus nostris cum filios suos, qui in spem regni educabantur, nihil operae ad Latinas litteras percipiendas conferre voluisset, hanc unam sententiam ab eis disci voluit: *Qui nescit simulare ac dissimulare, nescit regnare.* Summus philosophorum Plato, cum alioqui mendacium ex omni bene instituta civitate exterminandum censeat, medicis tamen ac magistratibus ac principibus civitatis illud esse necessarium et salutare non diffitetur, eisque permittit, ut eo, cum publice expedit, uti queant. At in Tiberio perpetua simulatio erat; nunquam ex illius aut vultu aut sermone animum quisquam certo perspicere potuit.

LXXIII.

Iugurtham, cum in triumpho ductus esset, desipere ac delirare coepisse.

(Var. Lect. II, 10.)

De vi doloris Venetiis, magno stipatus studiosorum hominum corona, aliquando disputabam, cumque mihi occurrisset, ut dicerem, eo dolore, quem e magnis infortuniis et calamitatibus homines caperent, mentem quoque ipsam saepe turbari, adigique ad insaniam eos, qui antea cati imprimis et sollertes fuissent, cum alios complures nominavi, quibus id contigisset, tum Numidarum regem Iugurtham. Eius autem rei testem atque auctorem laudavi Plutarchum in Mario. Postridie eius diei venit ad me unus eorum, qui sermoni illi interfuerant, homo et probus et ceteroqui non ineruditus, sed Graecarum inscius litterarum. Is cum mihi prius, sive officii caussa, sive quod ipse errore ductus ita sentiret, magnopere gratulatus esset dixissetque, me et sibi et aliis valde in eo sermone placuisse, Unum, inquit, est, quod magnam hercule mihi molestiam exhibuit. Nam cum domum reversus in bibliothecam me abdidissem, coepi ea, quae tu dixeras, mecum in animo recolere. Ac cetera quidem nihil abfuit, non sane multum, quin ita, uti tu dixeras, in iis, quos dixeras, libris scripta repererim; unum de Iugurtha reperiendi nulla potestas fuit. Et quidem ea caussa totam Marii vitam ita diligenter perlegi, ut ne littera quidem una me fugerit. Velim igitur, si commodum est, quem mihi iniecisti scrupulum, tute eximas recogitesque tecum, unde id sumpseris. Nam de Plutarcho quidem fugit te ratio. Tum ego, Facile istuc quidem, inquam, fuerit; nam et memoria nemo est hominum, qui valeât minus, et here ad dicendum non sane valde meditatus accesseram. Sed tamen quid vetat Plutarchum a me quoque inspici? Ut tibi quidem, inquit, plane satisfacias animum-

que expleas; nam quod reperire te id posse censeas, nihil est. Haec eo dicente ego iam puerum codicem poposceram; in quem ut primum conieci oculos, obtulit se mihi id, quod quaerebam, his verbis explicatum: *Καὶ Μάριος ἐκ Λιβύης μετὰ τοῦ στρατεύματος διακομισθεὶς αὐταῖς καλάνδαις Ἰανουαρίαις κ. τ. λ.*, quae pro tempore, ipsius caussa, ita tum a me in Latinum sermonem conversa sunt: *At Marius ex Africa cum exercitu advectus, Kal. Ian. ipsis, quod anni principium Romanis est, tum consulatum denuo iniit, tum triumphum egit, in quo incredibile Romanis spectaculum exhibuit, captivum Iugurtham, quo vivo se potiturum nemo hostium ipsius sperasset; ita vario erat vir ille et multiplici ingenio et ad fortunae vicissitudines versatili, et ea praeditus audacia, cui multa calliditas esset admista. Sed in triumpho ductus desipere, ut fertur, ac delirare coepit. Itaque post triumphum in carcerem compactus, ut ei alii quidem violenter abrupere tuniculam, alii autem auream inaurem per vim eripere properantes infimam una quoque auriculam disciderunt, ipse autem nudus in barathrum pulsus ac deiectus est, stuporis plenus, retectis ridentis in morem dentibus, Iupiter, inquit, ut frigidum vestrum balneum est.* His lectis et interpretatis miratus ille suum quoque librum afferri voluit. Sed in eo ita erant omnia haec non illepide modo et incondite, verum etiam absurde et procul a vero posita, ut meminisse pigeat. Indignatus igitur et multa mala precatus istis librorum contortoribus, ita tum discessit a me, ut qui se, etsi natu iam grandior, primo quoque tempore alicui Graecae linguae magistro operam daturum esse iuraret.

LXXIV.

Puerorum lusus, quibus maximi momenti negotia praesignificata sunt.

(Var. Lect. XIII, 9.)

Solent pueri interdum colludentes imitari ea, quae maxime seria sunt; neque raro animadversum est, eorum

ludicris quandam futurae sortis ac condicionis significationem contineri. Romulus certe, cum adhuc ignarus suae originis inter pastores educaretur, rex ab illis per ludum creatus et per eam occasionem ad magnum patruum perductus, puerilis simplicitatis praesagitionem re ac factis comprobavit. Quod ipsum et de Cyro aliisque proditum novimus. Sed et L. Septimium Severum, qui postea Romano imperio praefuit, tradit Spartianus, cum adhuc puerulus esset, nullum alium ludum inter pueros exercuisse, nisi ad iudices, cum ipse praelatis fascibus ac securibus, ordine puerorum circumstante, sederet ac iudicaret. Quod autem his omnibus multo maius ac praestantius est, sanctissimo viro Athanasio summus ordo in ecclesia Dei puerili quodam ludo praesignificatus est. Nam cum eum aequales sui, festo quodam die in littore maris colludentes, episcopum creassent et ad eum alios quosdam puerulos nondum baptizatos perduxissent, ipseque eos, observatis ad unguem omnibus ecclesiasticis ritibus, salutari aqua tinxisset, Alexander episcopus Alexandriae, qui totum illum ludum eminus spectaverat atque etiam a principio iniquo animo tulerat, cum vocatis ad se pueris rem totam diligenter cognovisset, pronuntiavit, pueros illos rite baptizatos videri, neque amplius baptizandos esse; adiicienda tamen ad illud mysterium ea, quae more atque instituto Christiano a sacerdotibus obiri oporteret. Eius autem Alexandri S. Athanasius successor fuit. Neque absimile est, quod de S. Ambrosio, episcopo Mediolanensi, S. Paulinus, Nolanus episcopus, memoriae prodidit, eum adhuc puerulum solitum esse quasi per iocum manus sororibus suis osculandas dare, cum sacerdotibus eum honorem ab illis tribui videret; nam se aliquando episcopum fore.

LXXV.

Ecquid adhibenda sint in conviviis acroamata, an minus.

(Var. Lect. VI, 15.)

Rectene faciant an secus, qui tibicines aut citharoedos aut alia id genus acroamata in conviviis adhibent, merito ut dubitari posse videatur, duorum in philosophia summorum hominum hac de re, ut videtur, dissentientium facit auctoritas. Nam apud Platonem in Protagora Socrates abiectos modo et imperitos et circumforaneos homines id facere solitos dicit, qui cum eam vim non habeant, ut urbana aliqua et eleganti collocutione tempus illud epularis accubationis traducere et mutuis sermonibus animos suos hilarare posssint, eius rei remedium a mimis et ab histrionibus et a vocum fidiumve cantibus petunt. At quas ad epulas boni et eruditi convivae convenerint, in eis neque tibicinam neque psaltriam audiri, neque saltatricem spectari ullam; ablegatis eos eiusmodi nugis atque ineptiis modeste inter se et hilare colloqui, neque unquam deesse ipsis, de quo sermones iucundissimos conferant, etiamsi multam in noctem convivium producatur. Itaque ex illo nobili apud Agathonem convivio eiicitur tibicina et aut sibi aut mulieribus canere iubetur.

At hercule alumnus eiusdem disciplinae Xenophon, in id convivium, in quo et Socrates esset et Antisthenes et alii sapientia praestantes viri, non modo Philippum excitandi risus artificem induxit, verum etiam sublatis epulis Syracusanum illum comessatorem cum tibicina et saltatrice et formoso puero, qui et ipse tum saltando, tum fidibus canendo summa eos, qui aderant, voluptate perfunderet. In Homericis etiam epulis et Phemius canit et Demodocus, et in Virgiliano Iopas. Sed haec fortasse aliquis intemperantium procorum et luxuriosi regis et reginae iam tum amoris telo percussae dixerit esse convivia. Quid, quod

epulantibus diis canere Apollinem et Musae ferunt? Nam Euripidis quidem sententiam mirari saepe soleo, qui non in conviviis, sed in luctu potius musicam adhibendam esse censet, quod convivia satis ipsa per se laeta sint, in luctu autem quaerendum sit aliquid, quo minuatur dolor. Ego vero si usquam, inter pocula maxime talibus blandimentis et relaxationibus animi locum esse duco, neque, dum ea moderatio retineatur, ut turpitudo omnis et obscenitas absit, caussam video ullam, cur in mensa aut comoedum aversari aut auloedum fidicinemve refugere sapiens debeat. Nam si semper tam facundi ac diserti convivae contingerent, quam illi sunt Platonici, tum fortasse non immerito talia omnia excluderentur. Quod enim esse potest tam mirabile acroama, quod non collatum cum illorum sermonibus sordeat? quos equidem arbitror, si Apollinem vidissent ipsum cum lyra et plectro ingredientem, uno ore omnes oraturos fuisse, ut aut abscederet aut ne cantu suo sermones abrumperet institutos. Et tamen, ni valde fallor, non multo turpius fuisset tibicinae alicuius cantum audire, quam vel orationem Aristophanis vel ea, quae de Socratis temperantia ebrius Alcibiades intemperantissime narrat.

LXXVI.

Iucunda narratio super ambiguitate voculae cuiusdam, quae duobus eruditissimis hmoinibus errorem obiecit.

(Var. Lect. XIII, 12.)

Interpretabar nuper publice librum Senecae, quo sanctus ille philosophus quaerit, quare mala bonis viris accidant, cum sit Providentia. Cumque ventum esset ad eam partem, in qua ipse graviter insectatur luxum temporum suorum, accidit, ut ego quoque in eo loco tractando enumerarem multa genera peregrinarum avium, quas veteres Romani e remotissimis totius orbis partibus petitas mensis inferre soliti essent. Venit ad me triduo post unus eorum, qui tum

interfuerant, homo et suo iudicio eruditissimus, et meo non ineruditus. Isque cum aliquot e familiaribus meis mecum una esse vidisset, dissimulanter quidem, sed ita tamen, ut artificium appareret, coepit operam dare, ut sermo noster, aliis de rebus susceptus, in mentionem eius disputationis, quae triduo ante a me habita erat, sensim delaberetur. Tum quasi occasionem nactus ostentandae eruditionis suae, Nollem, inquit, a te tum praetermissam unius avis mentionem, ex qua una inexplebilis veterum libido in exquisitis dapibus conquirendis vel maxime cognosci poterat. Quam quaeso? inquam. Phoenicem, inquit ille. Obsecro te, etiam phoenicem illi esitabant? Certe, inquit. Neque multi, inquam, neque saepe id facere poterant; aiunt enim eam avem unicam toto orbe reperiri et vivere annos, opinor, sexcentos sexaginta, et cum ipsa sibi rogum construxerit funusque fecerit, tum eodem illo ex rogo renasci. Sed ego figmenta esse illa poëtarum putabam. Tu vero, quem, ut illos rarae inventu dapes, ita omnia in studiis rara et exquisita delectant, ede nobis nomen gulonis illius, qui tanti putaverit palato gratificari, ut tam pulchram avem in perpetuum sustulerit. Certe enim, cum unica toto orbe sit neque, nisi ex se, renascatur, interfecta una totum genus exstinctum est. Atque ea fortassis caussa est, cur nullus iam pridem phoenix reperiatur.

Ludis tu quidem, inquit ille, et solita tua dissimulatione uteris; sed si tum inspexisses librum Plutarchi de valetudine tuenda, didicisses ex eo, istius avis, quam tu nullam esse putas, cerebrum dulce quidem esse, sed dolorem capitis inducere; quod tam gravis auctor nunquam prodidisset, nisi saltem ab iis, qui id gustassent, audiisset. Istud vero, inquam, magis etiam mirum fuerit, qui semel eum cibum gustassent, neque enim potuere saepius, tam cito et tam distincte naturam illius percipere potuisse. Nam ego ita ex Aristotele didiceram, e memoria eius, quod saepe eodem modo contigisset, experientiam, e multis autem — scio hoc Latinum non esse, sed dabitis veniam — experientiis artem

effici. De isto, inquit, tu videris; mihi satis erit, si tibi Plutarchi locum ostendero. Simulque librum e sinu protulit, in quo cum aliis quibusdam erant et ὑγιεινὰ Plutarchi, Erasmo, ut puto, interprete; nomen enim ita deletum erat, ut tamen ex ductibus litterarum agnosceretur. In eo autem ita plane scriptum legebatur: *Nam phoenicis cerebrum cum sit admodum dulce, tamen aiunt capitis dolorem parere.* Homo igitur, qui eam unam ob caussam venisset atque id unum operis habuisset, cum dicto, vix salutatis nobis, caussatus sibi nescio quid negotii esse, discessit.

Eo digresso visum est iis, qui aderant, etiam Xylandri interpretationem inspicere. Is autem ita locum illum reddiderat: *Cerebrum phoenicis dulce admodum est, sed dolores capitis inducere fertur.* Tum ego, Una, inquam, Graeca vox paullo negligentius expressa, videte, quantum errorem et sodali illi nostro, qui modo discessit, et fortasse etiam aliis obiecerit. Φοίνιξ enim Graece palma est, cuius arboris non tantum fructus esui sunt, sed etiam medulla, quam et Graeci ἐγκέφαλον, et Latini *cerebrum* vocant. De illa autem loquitur Plutarchus, non de phoenicis commenticiae avis cerebro. Quod hic ait Plutarchus, e Xenophonte videlicet sumpsit, apud quem id relatum est libro secundo Anabaseos.

LXXVII.

De quorundam admirabili memoria.

(Var. Lect. III, 1.)

Hippias apud Platonem tanquam de magno quodam et praestanti bono gloriatur, posse se quinquaginta nomina semel tantum audita recitare. At hoc nihil est, praeut quae de se Seneca scribit, cuius haec sunt e libro primo Declamationum: *Sed cum multa iam mihi ex me desideranda senectus fecerit, oculorum aciem retuderit, aurium sensum hebetaverit, nervorum firmitatem fatigaverit, inter ea, quae retuli, memoria*

est, res ex omnibus partibus animi maxime delicata et fragilis, in quam primum senectus incurrit. Hanc aliquando in me floruisse, ut non tantum ad usum sufficeret, sed in miraculum usque procederet, non nego. Nam duo millia nominum recitata, quo ordine erant dicta, referebam, et ab iis, qui ad audiendum praeceptorem nostrum convenerant, singulos versus a singulis datos, cum plures quam ducenti efficerentur, ab ultimo incipiens ad primum recitabam. Nec ad complectenda tantum, quae vellem, velox erat mihi memoria, sed etiam ad continenda, quae acceperat.

Haec Seneca, quae semper mihi mirabilia ac prope dixerim incredibilia visa erant, donec vidi ipse, quod nunquam credidissem. Habitabat Patavii in vicinia mea homo adolescens, genere Corsicus, honesto, ut ferebatur et credibile erat, apud suos loco natus, qui eo venerat ad ius civile discendum; quo in studio ita diligenter et attente annos aliquot consumpserat, ut magna iam esset de doctrina illius hominum opinio. Ventitabat autem fere quotidie in aedes meas devexo iam et inclinato sole, aestas enim erat, ibique, quod aedes satis amplae erant satisque apricae, aut sub dio ambulans et cum aequalibus suis iucundissime colloquens, aut saltu, aut lucta, aut trigonali pila corpus exercens fessas studiorum laboribus vires honestissime reficiebat. Rumor erat, tenere eum artem quandam memoriae, cuius auxilio multa efficeret, quae credi, nisi spectata, non possent. Is cum ad aures meas perlatus esset, cupido me incessit mirabilia illa et inaudita spectandi. Eiusmodi enim in rebus minime omnium auditis credulus esse soleo. Visum est igitur, quando ipse domo mea arbitratu suo uteretur, hoc ab eo quasi ἐνοίκιον exigere, ut, quod sibi commodum foret, praesente me artis suae specimen aliquod daret. Ille nihil gravatus lubentissimo animo se, cum vellem, facturum esse respondit. Placuit. Statim, cum per ipsum mora non esset, una omnes, qui aderamus, in proximum cubiculum ingressi consedimus. Coepi ego dictare nomina Latina, Graeca, barbara, significantia, nihil significantia, tam varia,

tam nihil inter se cohaerentia, tam multa, ut et ego dictando, et puer, cui mandatum erat, ut ea exciperet, scribendo, et ceteri, qui aderant, audiendo et exspectando fessi iam miris modis essemus omnes. Ipse unus ex omni numero alacer ac recens assidue plura poscebat. Sed cum ego ipse modum aliquem fieri oportere dixissem, abunde mihi satisfactum iri, si vel dimidiam partem eorum, quae dicta erant, recitare potuisset, tum ille fixo ad terram obtutu, magna nostra omnium exspectatione, tacitus aliquamdiu stetit. Quid verbis opus est? Vidi facinus, ut ille ait, mirificissimum. Ὁ δαιμόνιος ἐκεῖνος exorsus loqui plane omnia eodem ordine, nusquam prope insistens, nusquam haesitans, nobis stupentibus reddidit. Deinde ab ultimo incipiens sursum versus pervenit ad primum; rursus ita, ut primum, tertium, quintum ac sic deinceps omnia diceret. Quo denique quisque voluerat ordine, sine ullo errore omnia referebat. Idem postea, cum ei iam familiarior factus essem, saepe expertus usquequaque verum deprehendi. Ipse mihi aliquando affirmavit, et erat ab omni iactantia alienissimus, se triginta sex millia nominum eo modo recitare posse. Quodque admirabilius est, ita haerebant omnia in animo, ut vel post annum diceret se, quaecunque memoriae commendasset, minimo negotio repetiturum. Ego certe post multos dies facto periculo verum comperi. Neque hoc satis. Diversabatur apud me Franciscus Molinus, patricius Venetus, adolescens optimarum artium studiis mirifice deditus, qui, cum se memoria parum firma esse sentiret, oravit hominem, uti se artem illam doceret. Vix ostenderat se id velle, cum Corsicus operam ei suam prolixissime detulit. Dictus est locus, dicta hora, ad quam quotidie convenirent. Nondum sex aut septem dies abierant, cum ille quoque alter nomina amplius quingenta sine ulla difficultate aut eodem, aut quocunque alio libuisset ordine, repetebat. Haec ego vix auderem litteris prodere, mendacii suspicionem reverens, nisi et res adhuc recens esset (nondum enim annus est) et Nicolaum Lippomanum, Petri Alexandri filium, Lazarum Mocenicum, Fran-

cisci filium, Ioannem Malipetrum, Nicolai filium, Georgium Contarenum, Laurentii filium, patricios Venetos et nobilissimos adolescentes, aliosque praeterea innumerabiles eius rei testes haberem, a quibus, si mentirer, vanitatem meam coargui nollem. Artem vero illam Corsicus accepisse se dicebat ab homine Gallo, quo puer domestico praeceptore usus esset. Huic ego ne ex antiquitate quidem, quem opponam, habeo, nisi forte Cyrum, quem Plinius, Quinctilianus et alii Latini scriptores tradiderunt tenuisse omnium militum nomina. Sed hoc, ut verum fatear, semper veritus sum, quam considerate atque explorate tradidissent. Xenophon enim, a quo illi vel uno vel praecipue, quae de Cyro dicebant, accipere potuerunt, istud tam incredibile non dicit, sed tantum eum tenuisse nomina *τῶν ὑφ' αὐτὸν ἡγεμόνων.* Quod ut in imperatore laudabile est, ita non excedit fidem. Locus, si quis requirit, est libro quinto *παιδείας.* Fieri autem potest, ut Latinorum aliquis, qui locum illum Xenophontis male accepisset, alios postea auctoritate sua in errorem induxerit. Hoc enim non semel novimus contigisse. Sed tamen hac de re nihil affirmo. Non erit alienum, ut puto, adscribere hoc loco distichon, quo Simonides, qui eius, de qua locuti sumus, artis pater fuisse traditur, iam octogenarius gloriatus est, neminem sibi memoria parem esse:

Μνήμην δ' οὔτινά φημι Σιμωνίδῃ ἰσοφαρίζειν
Ὀγδοηκονταετεῖ, παιδὶ Λεωπρεπέος.

At Apollonius Tyaneus, cum centum haberet annos, tum quoque memoria excelluisse fertur.

LXXVIII.

Sermo habitus cum Dario Bernardo de prompta Latine loquendi facultate.

(Var. Lect. XV, 1.)

Venerant ad me in Quirinalem visendi ac salutandi caussa nobiles aliquot Germani adolescentes, qui cum totam prope Italiam perlustrassent, neque quemquam fere praetermisissent eorum, qui nomen aliquod habent in litteris, quin eum vidissent allocutique essent, me quoque, ut ipsi quidem dicebant, eadem de caussa videre mecumque colloqui voluerant. Cumque ipsi me de studiis meis, ego contra eos de Germaniae statu deque iis, qui illic hodie florere dicerentur, eruditis hominibus interrogarem, quae cuiusque aetas esset, quae habitudo corporis, quae fortuna ac conditio vivendi, inprimis autem, quinam ex iis patritam atque avitam religionem constanter tuerentur, neque illo se pestiferarum opinionum aestu abripi sinerent, varie illis ut de quoque interrogati erant, respondentibus, una atque altera hora consumpta est. Complexus igitur illos et abeuntes faustis ominibus prosecutus dimisi. Interfuerat illi sermoni ac colloquio nostro Darius Bernardus, iuvenis et festivo ingenio et sanctis plane atque incorruptis moribus, qui eis digressis, Verum omnino, inquit, est, quod dicitur, in nullis hominibus hoc tempore, praeterquam in Transalpinis, promptam atque expeditam reperiri Latine loquendi facultatem. Vel ii, qui modo abierunt, ut nusquam in loquendo haerent, nusquam titubant, nusquam offendunt, ut omnia in numerato habent, ut tota eorum sine ullo impedimento ac salebris decurrit oratio. At nostri homines, etiam ii, qui sibi e studiorum laboribus pallorem et maciem et senium contraxerunt, si quando Latine loquendum est, ut luctantur, ut sudant, ut anhelant! Credas, eos magna vi ex imis pulmonibus verba eruere, cum istis contra sine ulla cura

ac cogitatione iugis quaedam ac beata Latinarum vocum copia ultro ex ore manare ac decurrere videatur.

Est istuc quidem, inquam, ita, ut dicis, Dari; sed tamen habet et Italia praeclaros viros, quique et ornatissime scribant et disertissime ac copiosissime, cum opus est, loquantur. Manutium, inquit, fortasse dicis et Sigonium et Petrum Ioannem Maffeium, aut ex eadem sodalitate eum, cuius audita morte ubertim tibi nuper lacrymas isse memini, Perpinianum, et si quos tales vix singulos singulae aetates ferunt. Et istos, inquam, et alios, quamquam is quidem, quem tu postremo loco nominasti, Hispanus, non Italus fuit; sed ita diu in Italia fuerat, ut pro Italo haberi posset. Quem tu virum, Dari, utinam audire potuisses, neque te, quo tempore ille in hac urbe eloquentiae praecepta tradebat, alio vitae genere implicatum aula tenuisset; nunquam enim quemquam audiisti, ac ne audies quidem, ut opinor, in quem illud de Nestore eclogium melius conveniret: *Cuius ex ore melle dulcior fluebat oratio.* Sed quid est, quod tu, colloquentibus nobis, bis terve nutu mihi nescio quid significare visus es? Egone? inquit; dolebam excidere interdum grandiori illi, qui tecum colloquebatur, voces quasdam minus Latinas, quibus ille perpetuus subitae orationis nitor quasi maculis quibusdam infuscaretur. Quas? quaeso, inquam; nam me quidem alia cogitantem praetervolarunt. Plura dicere cum pararem, amicorum quorundam interventus institutum sermonem abrumpere coëgit.

LXXIX.

Peregrinatio sitne utilis, quaesitum; et liceatne laudare aliud, aliud sequi.

(Var. Lect. XVII, 8.)

Peregrinatio ad tempus homini praesertim adolescenti neque iniucunda neque inutilis est; nam et novitas ac varietas mirificam oblectationem habet, et qui mores mul-

tarum gentium novit, magnum sibi ad prudentiam instrumentum comparavit. Sed plerique iuvenum hodie, qui longinqua itinera suscipiunt multasque regiones perlustrant, id sibi fere unum studio habent, ut, quo quaeque urbs loco sita sit, cuius generis aedificia habeat, quae in quaque sit mercium ceterarumque rerum ad explendas cupiditates accommodatarum copia, cum domum redierint, narrare aequalibus possint; quibus legibus atque institutis temperata sit, quibus magistratibus utatur, quomodo ea, quae ad se conservandam utilia sunt, persequatur declinetque contraria, horum omnium ne cogitationem quidem suscipiunt ullam. Et tamen nihil prodest multa loca vidisse, nisi harum rerum notitiam adiunxeris. Praeclareque de Ulysse Homerus:

πολλῶν ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα καὶ νόον ἔγνω.

Urbes, inquit, *multorum hominum vidit*, *ingenia naturasque cognovit.* Quae re ipsa distincta sunt, ea distinxit etiam verbis. Negligentius Horatius:

Qui mores hominum multorum vidit et urbes.

Urbes etiam a praetereunte videri possunt; mores cognosci, nisi adhibita cura et studio, non possunt. Solon, Pythagoras, Plato aliique olim magni ac praestantes viri eo consilio peregrinati sunt, ut quam maximam sibi talium rerum supellectilem compararent. Quamquam enim ut in aliena domo, sic in aliena re publica negant curiosum esse oportere, haec tamen, quam dico, curiositas et privatim semper et publice utilis fuit. Aliam quandam rationem secutus est Plato, qui huius generis peregrinationes neque, nisi magistratus permissu, neque, nisi a quinquagesimo usque ad sexagesimum aetatis annum suscipi voluit; quod probarem et ipse, si qua usquam civitas, qualem ipse describit, reperiretur. Nam quod ille verebatur, ne, alienigenarum hominum multitudine in provinciam aliquam confluente ibique sedes figente, et adolescentibus, quorum improvida aetas ad libidinem plerumque quam ad virtutem pronior est, extra patrios fines vagantibus externa potius vitia importarentur, quam domestica tollerentur: hunc metum ipsius

non vanum fuisse, satis declarant eae gentes, quae, cum multa saecula floruissent, nunc in exitium suum versae peregrinis potius moribus laborant quam suis. Sed, ut me ad propositum referam, cum et utilis et iucunda sit bene instituta peregrinatio, tranquillam tamen et quietam vitam amantibus domi vivere iucundissimum est. *Οἶκος φίλος, οἶκος ἄριστος* dixisse ait testudinem Aesopus. Quid senex ille, an corporis oculis captus nescio, mentis certe oculo Lynceus?

Οἴκοι βέλτερον εἶναι, ἐπεὶ βλαβερὸν τὸ θύρηφι.

Ubique enim, ut vafer quidem et improbus, sed politus et urbanus scriptor ait Lucianus, *εὐκαταφρόνητον πρᾶγμα ὁ ξένος.* Itaque in illa aurea aetate, si qua poëtis fides, nemo peregrinabatur,

Nullaque mortales praeter sua littora norant.

Equidem afficior intimis sensibus, cum illud Claudiani poëmation lego, quo senex ille Veronensis describitur, qui nunquam e patriis finibus excesserat; de quo vere et eleganter idem poëta:

Erret et extremos alter scrutetur Iberos;
Plus habet hic vitae, plus habet ille viae.

Praeclareque Horatius:

Romae laudetur Chios et Samos et Rhodos absens.

Sed, ut aliud ex alio, quid est, quod longinquas sive urbes sive insulas laudari iubet, adire vetat? Certe enim hoc dicit: Laudato peregrinationes, sed ipse te domi contineto. An aliud laudare iubemur, aliud sequi? At aliud in ore, aliud in pectore habere turpissimum est. Et tamen multa talia sunt poëtarum, ut illud Hesiodi: laudandam esse parvam navim, sed merces in magnam imponendas, et hoc Virgilii:

Laudato ingentia rura,
Exiguum colito.

Et hodie in Italia usitatum est simile proverbium agricolarum: laudandos montes, sed a planitie non recedendum. Capitale in eodem genere illud Sophoclis: laudandam iustitiam, sed haerendum lucro;

τὰ μὲν
Δίκαι' ἐπαίνει, τοῦ δὲ κερδαίνειν ἔχου.

A quo praecepto etiam improbissimi verbo, re et factis ne ii quidem, qui boni viri habentur, omnes abhorrent. Numquid igitur, ut aliam vestem domesticam habemus, aliam forensem, ita alia aliis laudabimus, alia ipsi consectabimur? An hoc potius significant vetera illa poëtica proverbia: cum saepe variae ac multiplices sint hominum sententiae, ita ut eadem alii laudent, alii vituperent, gravesque interdum inimicitiae ex eiusmodi dissensionibus oriantur, debere nos sinere unumquemque iudicio suo uti, et potius, quam ullam dimicationem aut contentionem suscipiamus, laudare iudicium ipsius, sed tamen id, quod optimum est, sequi? Ita mihi quidem videtur. Et cetera quidem hoc sensu accipi queunt, Sophocleum illud non potest; neque alia ratione summum poëtam defendi posse arbitror, quam ut dicamus, eum habuisse rationem decori et sententiam protulisse conveuientem ei personae, quae tum lôquens induceretur.

LXXX.

De variis vitae generibus.

(Comment. in Aristot. Ethic. Oper. t. III. p. 177 sqq. ed. Ruhnk.)

Multa quidem sunt vivendi genera, sed tria, ut videtur, maxime insignia: unum vulgarium, qui ad voluptatem referunt omnia et ventri ac libidini servientes nullam aliam cogitationem suscipiunt; alterum elegantium hominum ac politiorum, qui capessunt rempublicam et in rebus agendis versantur; tertium eorum, qui sublimiori ingenio praediti totos se conferunt ad contemplationem cognitionemque rerum, aliisque omnibus curis posthabitis in ea una occupantur. Aristoteles reprehendit iudicium vulgarium affirmatque eos omnino serviles videri, qui quidem pecudum vitam ceteris potiorem esse ducant eamque sibi deligant, quam sequantur, sive quod cupiditatibus pareant, sive quod nihil unquam magnum atque excelsum cogitent; nam eae voluptates, quae

gustatu percipiuntur, quaeque gustu, communes sunt homini cum bestiis. Quocirca cum potentium magna pars iisdem, quibus Sardanapalus olim, cupiditatibus serviat, videntur vulgares ratione aliqua moveri, ut in earum expletione finem bonorum esse statuant. Hic Assyriorum rex fuit non modo tempore, sed vita etiam moribusque postremus. Epitaphium illius traditur hoc modo: Ego rex fui, et, quoad vixi, bibi, comedi, rei Venereae operam dedi, cum scirem et brevem esse hominum vitam et multis mutationibus obnoxiam, et fructum bonorum, quae ego reliquissem, ad alios perventurum. Quare hoc facere nullum diem intermisi. Hinc autem intelligi potest, locupletes et potestate praediti homines quantum studium conferre ad bene laudabiliterque vivendum debeant. Cum enim secus faciunt, non tantum corrumpunt ipsi se, verum etiam alios exemplo suo in eandem perniciem trahunt.

Vulgarium igitur una ratio est; omnes enim nullo discrimine voluptatem sequuntur; politiorum duplex. Partim enim ad rem publicam accedunt, iique honorem sibi proponere videntur et ad eum omnia referre; partim se totos cognitioni contemplationique dedunt; de quibus alius constitutus est ad dicendum locus. Duobus argumentis Aristoteles ostendit, honorem non esse summum bonum. Eorum unum a repugnantibus ducitur hoc modo: Summum bonum proprium quiddam esse eius, cui contigit, arbitramur, atque ita proprium, ut difficulter ab eo avelli queat. At honor non est quicquam proprium eius, qui eo afficitur; immo potius testimonium quoddam alienae de praestanti ipsius virtute opinionis. Itaque facile eripi potest; non enim situs est in potestate eius, cui defertur, sed aliorum. Quo fit, ut interdum tribuatur indignis, dignissimis denegetur; ut cum praetore creato Vatinio Cato repulsam tulit. Nam vir bonus praestare se honore dignum potest; ut alii quoque ita iudicent, non potest. Constat igitur, honorem levius quiddam esse et minus altis, ut ita dicam,

radicibus nixum, quam id, quod quaerimus. Alterum hoc argumentum est, quo demonstratur, honorem in rebus bonis principem locum non obtinere: non enim plane et omnino suapte vi expetitur; immo vero optimus et gravissimus quisque (nam levium quidem et ventosorum hominum alia ratio est) non aliam fere ob caussam honoris studio ducitur, quam ut plane perspiciat, id quod maxime cupit, se virtute praeditum esse. Talium igitur iudicio virtutem honore praestantius quiddam esse constat.

Hic autem considerandum, sapientum sententia quantopere a vulgarium opinione dissideat. Quotus enim quisque nostrum est, qui, si aperte ac sine ulla dissimulatione sensum animi sui velit expromere, non ita existimet: honoris potius consequendi gratia sequendam esse virtutem, quam honoris studium ad virtutem dirigi oportere? Pone ex altera parte virtutem omni honore spoliatam, ex altera honorem (quamquam verus quidem honos exsistere, nisi ex virtute non potest) sed tamen aut honorem, aut etiam inanem quandam et adumbratam honoris imaginem nullo solidae virtutis fundamento subnixam, populari tantum aura et falsis imperitae multitudinis sermonibus excitatam, quos ex hac parte concursus, quam ex illa solitudinem futuram putas? Ita magna pars mortalium omnem virtutis fructum in honore positum esse arbitratur, neque ea mercede detracta satis magnam caussam esse ducit, cur asperam illam et multis obstructam difficultatibus virtutis viam capessere debeat. Longe aliter, ait hoc loco Aristoteles, ab hominibus eleganti praeditis ingenio fieri, qui honorem ob id unum expetunt, ut virtutis suae conscientia certius et exploratius frui possint. Amant enim eximie virtutem et ad eam omni studio incumbunt omniaque sedulo faciunt, ut eam sibi comparent; neque quicquam habent antiquius, quam ut ad eam perveniant. Quamquam autem sibi conscii sunt, se nihil consulto praetermittere, quod ad eam acquirendam pertinere videatur, semper tamen diffidunt suo de se ipsis iudicio, neque unquam satis pro certo sibi per-

suadere audent, se illud bonum, quod tantopere optant, consecutos. Sciunt enim pro ingenito omnibus amore sui, facile quemque a se ipso decipi, nullum de se iudicare, ut alibi Aristoteles loquitur, *ἀδέκαστον*; ita esse omnes a natura factos, *aliena*, quod ait Comicus, melius *ut videant et iudicent, quam sua*. Saepe igitur ita secum loquuntur: Quid, si nimis ipse mihi placeo et vana me virtutis meae opinione ludificor? Quid, si multa in me vitiosa, quae me fugiunt, alii vident? Quid, si cum aliquos mihi ad virtutem progressus fecisse videar, alii me longissime ab ea abesse cernunt? Hoc est igitur, cur honorem requirant: non ut virtutis praemium; ipsa enim virtus, ut ait poëta, *pretium est sibi;* sed ut eorum, quos integrius et incorruptius iudicare arbitrantur, de sua virtute testimonium. Ita enim certius credunt, quod toto pectore cupiunt, se bonos esse, cum ad conscientiam suam alieni quoque testimonii accessit auctoritas.

Ergone, dicet aliquis, de se quemque aliis, quam sibi, verius credere est? At id ne faciamus, sapientissimus poëta Horatius vetat. Notus est enim versiculus ille ad Quinctium:

Sed vereor, ne cui de te plus quam tibi credas.

Et quidam alius recentiorum (Ausonium fuisse aiunt) virum bonum describens, illud ei vel imprimis tribuit, quod

Iudex ipse sui totum se explorat ad unguem.
Quid proceres, quid leno procax, quid opinio vulgi,
Securus.

Sunt ista; neque tamen ulla inter Aristotelem et hos poëtas repugnantia est. Nam horum ille vetat contra conscientiam suam adulantium vocibus credere, hic bonum virum, recte factorum conscientia fretum, negat curare, quid sentiant ii, qui virtutem negligunt. Aristoteles autem ait, compositos et modestos homines non audere suo de se iudicio confidere, imo praeterea non quidem adulatorum neque procerum neque lenonum neque vulgi, sed prudentium et recte iudicantium virorum testimonium requirere. Itaque qui versiculum illum Horatianum et hunc Aristotelis locum perinde acceperunt,

ac si uterque de eodem hominum genere loqueretur, ut mollissime dicam, ἀνθρώπινόν τι ἔπαθον.

Sed si virtus propter honorem non expetitur, neque honos praecipuum virtutis praemium est, qui fit, ut generosissimus quisque tanto teneatur honoris studio, et ut, quicunque ad virtutem cohortantur, non aliud fere iis, quos incitare volunt, quam honorem gloriamque proponant? Certe ille Graecorum fortissimus etiam longitudinem vitae honori ac celebritati nominis postposuisse memoratur et sapientissimi viri filium dea sapientissima ideo fortem esse iubet, ut etiam a posteris commendetur, cum ait:

Ἄλκιμος ἔσσ᾽, ἵνα τίς σε καὶ ὀψιγόνων εὖ εἴπῃ.

Prodicus quoque ille Xenophonteus Herculem a virtute hoc potissimum argumento allici facit. Quid iam eius generis alia colligam? Obvia enim sunt omnibus philosophorum poëtarumve scripta tractantibus. Ac de illa quidem, quae omnibus praeclaris ingeniis insita est, honoris aviditate, antea diximus, veramque illius caussam ex Aristotele patefecimus. Quod autem in adolescentibus ad colendam virtutem incitandis honorem quasi praemium proponi videmus, intelligendum est, eos qui id faciunt, simile quiddam facere, atque in puerulis prima elementa discentibus prudenter magistri solent. Nam quia puerulorum aetas infirmior est, quam ut adhuc perspicere possit utilitates litterarum, iccirco crustulis quibusdam et sigillis et aliis eius generis munusculis invitanda est, ut laborem capere in eis discendis velit. Simili modo adolescentum animos, quia pervidere, quam sit ipsa per se virtus amplexanda, nondum queunt, adducere oportet invitamentis atque illecebris gloriae, ut eius se studio dedant. Sed ut pueri gustata semel litterarum dulcedine cognitaque praestantia, non iam amplius ludicris illis praemiolis commoventur; ipsas per se litteras amant; ita qui semel mentis oculis virtutis dignitatem penitus perspexerunt, non iam amplius honoris blandimentis, ut eam usque ad extremum persequantur, indigent; ipsam per se amant, neque honorem

requirunt, nisi ut, quemadmodum diximus, alieno quoque testimonio intelligant, se tales esse, quales maxime exoptant.

Petrus Ioannes Perpinianus 1530—1566.

LXXXI.

Petrus Ioannes Perpinianus M. Antonio Mureto S. P. D.

(Mur. Opp. T. II. Epp. I, 38.)

Onus Aetna gravius mihi videntur sustinere, qui alteri fidem suam adstrinxerunt, nisi eius, aut cui, aut pro quo spoponderunt, humanitate subleventur. Scis, credo, quid velim. De versibus illis in D. Mariam Lauretanam, qui eos a te optabat propter singularem exspectationem elegantiae et doctrinae tuae, is me urgere non cessat. Ego, tametsi inscio et inconsulto te, me temere recepisse intelligo; tamen hanc temeritatem in spondendo meam tua eximia in re perficienda humanitate compensatum iri confido. Si quid possunt fontes et pomaria Tiburtia, si quid iste secessus otii a quotidianis occupationibus tuis attulit, oro te atque obsecro, ut ostendas, me nonnullum apud te gratiae locum obtinere. Quaedam tecum communicare cupiebam; sed ea melius, ut spero, coram, ubi ad nos redieris. Nam summus nostrae Societatis magister statuit, ut Romae anno proximo manerem. Nostri omnes te salutant. Vale. Ex Urbe, XVIII. Kalend. Sept. MDLXIV.

LXXXII. (Mureti responsum.)

M. Antonius Muretus S. D. Petro Ioanni Perpiniano Societatis Iesu.

(Opp. T. II. Epp. I, 39.)

Cupio equidem et meam et tuam fidem liberare; sed mihi adhuc multa, ne id facere possem, obstiterunt. Primum quod, quem locum quodque tempus otii et quietis plenissimum putabam fore, in eo me et multa et longissime a studiis meis abhorrentia negotia occupatum atque exercitatum habuerunt. Nam, ut cetera taceam, his paucis diebus bis mihi Romam eundum fuit; quod etsi leve videri potest, tamen eae mihi profectiones octo amplius dies abstulerunt. Deinde quod multos iam et menses et annos intermisi poëtica studia, ut, etiamsi quid olim fuisset in me eius facultatis, quod sane aut nihil aut pertenue quiddam et perexiguum fuit, effluxisse id tamen et exaruisse necesse sit. Postremo (*δεῖ γὰρ τἀληθῆ λέγειν*) tardiorem me ac timidiorem facit exspectatio illa, quam de meis versibus concitatam esse scribis. Scis enim, quam inutilis ea atque aliena sit placere cupientibus. Nam si illud a me postulatur, ut tuorum elegantiam aequem, a te ipso mihi versura faciunda fuerit. Utut est, meditabor tamen propediem aliquid. Sed si me amas (quod quidem ita mihi perspexisse videor, ut, quin ita sit, dubitare non debeam) minue, obsecro, quantum potes, istam exspectationem ac perfice, ut ille amicus tuus a me, tamquam a malo nomine, ut nummos, ita versus, etiamsi neque optimae notae erunt neque iusti ponderis, aequo tamen animo accipiendos putet.

Bene factum, quod te Societatis vestrae magister Romae retinendum iudicavit. Mihi crede: magnam molestiam cepissem e discessu tuo. Nunc spero fore, cum istuc rediero, ut fruar tua suavissima mihique optatissima consuetudine,

quam ego quanti faciam, spero te re ipsa aliquando cogniturum. Vale. Tibure, XVI. Kalend. Sept. MDLXIV.

Philippus Camerarius 1537—1624.

LXXXIII.

De duobus furtis insignibus.

(Phil. Camerarii Oper. horarum subsicivarum Cent. I. p. 290 sq.)

In libro Gallico, cuius est titulus: *Traité préparatif à l'apologie pour Hérodote*, cum multa insignia furta recensentur, tum mihi nonnulla propemodum fidem excedere et propter audaciam et propter miram astutiam visa sunt. Quae sicut e Gallico sermone a me versa sunt, huc transscribere operae pretium duxi.

Accidit, inquit auctor istius libri, tempore regis Francisci I., ut quidam fur splendide vestitus, cum magna solemnitate celebraretur missa, Cardinali Lotharingo ex loculis, qui plerumque vestibus ad pecuniam vel alias res asservandas assuuntur, aliquid clanculum eximeret. Cumque iste fur astute animadvertisset, neminem hoc praeter regem idque intentis oculis observasse, tantum abfuit, ut absterreretur, ut ausus fuerit familiariter subridendo regi digito annuere, quasi ioco ista fierent. Rex, uti delectabatur iocis, existimans ista non serio, sed uti inter aulicos moris est, velut rem ludicram fieri, dissimulavit se vidisse hoc furtum. Finita autem missa, ut certius cognosceret, quid factum

esset, inter colloquendum praebuit Cardinali occasionem, ut ad suos loculos respiceret. Is cum non amplius reperiret, quae ibi reposuerat, et ob eam rem valde commoveretur, rex in largiorem risum effusus est. Postquam autem satis risisset et seria tractanda occurrissent, iussit rex, ut ea, quae ablata Cardinali se vidente essent, restituerentur. Persuasum enim illi adhuc erat, ioco et animo restituendi istam rem a quodam nobili aulico subtractam esse. Verum cum explorata re compertum esset, insignem et veteranum furem in vestitu aulico serio abstulisse ea, quae in sacculo Cardinalis asservasset, et is admiraretur, cur rex alioqui iustitiae studiosissimus hoc impudentissimo praesertim inter sacra commisso furto ita delectaretur, rex audaciam furti detestatus, quid se connivente accidisset, enarravit, addito iuramento, hoc primum sibi accidere, quod fur familiaritatem et societatem suam expetiisset. Vel ut Gallice elegantius profertur: *Le roy usant de son serment accoustumé, iura foy de gentilhomme, que c'estoit la première fois, qu'un larron l'avoit voulu faire compagnon.*

Alterum furtum non minus memorabile refert idem auctor istius libri fuisse commissum in praesentia Caroli V. Imp. Cum enim quodam tempore iussu imperatoris aulici omnes ad iter se pararent et singuli occupati essent in suis reculis convasandis, quidam ex genere furum audacissimus capta hac occasione ingressus est cubiculum imperatoris, accedensque propius ad imperatorem et genibus, uti aulicis mos est, flexis, mox magna festinatione coepit colligere tapetas et aulaea affixa et in unum fasciculum scite admodum, inspiciente hoc imperatore una cum suis familiaribus, complicare.

Petrus Burmannus 1688—1741.

LXXXIV.

Ioannes Georgius Graevius.

(Petr. Burmanni orat. funebris in obitum Graevii, dicta Traj. ad Rhen. 1703. in Burmanni Oratt. coll., Hagae Comitis. 1759. Etiam in Graevii praefatt. et epist. CXX. ed. a Io. Alberto Fabricio. Hamb. et Lips. 1713. p. 559 sqq.)

In patria urbe postquam primis litterarum elementis imbutus esset, ad Latinas Graecasque arripiendas in celebre tota Germania gymnasium Portense mittitur. Saepe defunctum narrantem audivi, quam egregia cura et disciplina laudabili teneriores ibi formarentur mentes. Electores enim Saxoniae, discussis falsorum errorum tenebris, ex libidinis latebris ignavissimos ventres et sola ignorantia turgentes monachos extraxerant et coenobia regiis vectigalibus dotata in bonae mentis palaestras converterant. Inter ea celeberrimum erat, quod ab Udone XI., Naumburgensium episcopo, ad Salam conditum Porta Mariae dicebatur. Hunc ludum omnibus popularibus communem sapientissimi principes, in quem parentes felicioris ingenii pueros sumptu publico erudiendos mitterent, aperuerant. Nullo sanguinis aut fortunarum discrimine comitum, baronum et civium filii ibi severissima lege proficere iubentur. A quinta hora matutina, sive aestas dierum spatia extendit, sive hiems contrahit, ad solem occidentem continuo labore et exercitatione, modica modo intermissione data, occupantur. Non crudelis matrum indulgentia, non prava patrum facilitas flexibilem et proclivem ad ignaviam et otium iuventutem corrumpit. Credite, quotquot hic adestis, patres, non mihi, sed omnis aevi sapientibus viris, sed ipsis proavis vestris, antiquae

severitatis et disciplinae hominibus, non aliam huius saeculi infelicitatis et bonorum virorum penuriae caussam esse, quam perversam illam lenitatem et educationis mollitiem, qua, dum puerorum tergis et corporibus metuimus, secure mentem corrumpi permittimns; dum stulta nos torquet sollicitudo, ne delicati nostri filioli assiduo labore studiorum taedium et fastidium capiant, facile illos patimur deliciis et voluptatum illecebris infici et immergi. An rusticum laus diligentiae consequetur, qui ne seges, dum herbescenti viriditate messem uberrimam pollicetur, in flore laedatur, omni cura providet, nobis sine crimine indolem puerorum, quae, si paterna cura erigatur, summa quaeque promittit, negligere licebit? Non ita parentis Graevii nostri erat institutum, qui prudentissime, si qua difficultas tenerrimo puero esset exhaurienda, brevi hanc in consuetudinem abituram iudicabat. Sed vix egebat ignei spiritus puer his calcaribus, qui sponte ad industriam inclinans, non contentus praescripta a magistris pensa absolvisse, in seram noctem non iussus vigilabat, ut, si ingenio acriori forte pauci condiscipulorum illum praeterirent, ille omnes labore et diligentia superaret. Saepe senem suavissima illius temporis, quod in eo gymnasio egit, recordatione delectatum memorare memini, maximam noctis partem Homeri et Hesiodi lectioni se impendisse, tantamque inde Graecae linguae facultatem adeptum, ut sine molestia versus ad istorum principum poëtarum exemplar funderet. Hinc quoque consuetudinem illam lucubrandi, quam constantissime ad fatalem usque horam servavit, sibi natam dicebat, ita ut a gymnasio dimissus ab eius moderatore hoc singulare diligentiae testimonium tulerit, illum non modo diurni laboris descriptione feliciter et gnaviter functum, sed lucubrationum etiam fumos bibisse. Graecis igitur et Latinis litteris imbutus in optimis ingeniis florentissimam Lipsiensem academiam migrabat, ubi duce Andrea Rivino, magni tunc nominis litteratore, et cuius doctrinae egregia adhuc supersunt monumenta, ad interiora litterarum sacra ad-

mittebatur. Utebatur etiam familiarissime splendidissimo illo Germaniae lumine, Thoma Reinesio, qui in vicino Lipsiae oppido Altenburgo in summa dignatione vivens iuvenem, quoties ad illum invisebat, ad alta surgentem singulari cura et amore fovebat.

Quamvis autem naturali mentis propensione ad sola humanitatis studia ferretur, parentis tamen monitu et auctoritate Strauchii, matris suae consobrini, permotus coepit iurisprudentiae operari. Sed cum animadverteret, ingratam illam et indotatam esse disciplinam, quae sine litterarum elegantiorum ornamento neminem, nisi viles quasdam animas, quae ex forensi et venali opera quaestum petunt, attrahere posset, fastidium eius cito, meliori gustatione iam initiatus, contrahebat. Itaque divinitus paene ipsi accidit, ut pater, qui per negotia domo abesse non poterat, eum in Frisiam orientalem mittere decerneret, ut a comite istius tractus, qui, ut principibus fere mos est, lentum erat nomen, non exiguam pecuniae a longo tempore debitae summam exigeret. Nihil magis prima specie ad abducendum a studiis videri accommodatum poterat quam molestis negotiis implicare iuvenem, sed haec ipsa profectio caussa futurae magnitudinis, quam inter doctos postea consecutus est, fuit. Nam fideliter expedito nomine capit impetum vicinam Bataviam, quae viris, quorum nunc exempla perierunt, summis, Salmasio, Heinsio et Gronovio fulgebat, videndi. Daventriam, quam primam nostri iuris urbem attingebat, transiens, nihil aliud cogitans, quam post diei unius aut alterius moram recta Lugdunum contendere, salutatum accedebat I. F. Gronovium, cuius humanitate et praeclara simul eruditione inter sermones primos captus mutare consilium et eo doctore perversam studiorum rationem, quam in patria inierat, emendare constituit. Afflaverat enim pestilens quoddam sidus omnes fere Germaniae academias, quarum professores a nativo Latini sermonis nitore desciscentes et deserto optimo bene loquendi magistro, Cicerone, ad ineptam quandam scriptionem se applicaverant. Eius corruptelae auctor fuerat

Iustus Lipsius, qui, cum in reliquis eruditionis partibus facile omnes sui temporis doctos praeteriret, sola stili et dictionis elegantia Manutio, Mureto et paucis quibusdam aliis se inferiorem esse dolebat. Quare, ne cum aliis in ordinem cogeretur, relicto illis Cicerone eos imitari ex Romanis scriptoribus coepit, quos alii in exemplum proponendos negabant. Sed quod in eo viro, omnibus doctrinae copiis instructo, felix quaedam temeritas, et quam ipse aliis ne tentandam quidem monebat, videri poterat, in servo pecore, imitatoribus eius, qui litteris inanes sub onere labebantur, summa erat ineptia et cum ignorantia coniuncta fatuitas. Ex Ennii sterquilinio, ex Pacuvii sordibus antiqua et obsoleta verba eruebantur, Plauti plebeiae, et quae summam modo caveam olim delectaverant, voces et locutiones gravissimis etiam rebus accommodabantur. Argutis sententiis et ridiculis acuminibus enervabatur omnis vis orationis, et affectata periodorum brevitate ieiuna per se et macra dictio ut Absyrti corpus lacerabatur. Abstulerant in partes suas incautum Graevium Lipsianae simiae, qui antequam pectus plenissimo doctrinae et omnis antiquitatis fonte inundasset, laudem ex stili exercitatione perverso ordine ante omnia captandam sibi cum reliquis persuaserat.

Periculum erat, nisi divinitus ad Gronovium accessisset, ne fons ille, qui limpidissima puritate Ciceronis flumen aliquando aequaret, limo et sordibus obductus exaruisset vel in tenuissimas venas derivatus evanuisset. Gronovius ex sermonibus privatis morbo iuvenis animadverso, et simul vim ingenii ad meliora nati perspiciens, rogabat eum, an etiam Latine loqui aut scribere calleret? Iniuriam sibi fieri credens iuvenis, qui non modo humanioris disciplinae curriculum absolverat, sed et ad legum studium accesserat, sibi eius linguae satis idoneam facultatem esse respondit. Ergone, inquit Gronovius, Ciceronis epistolas iam tibi planas et intellectas credis? Magis miratus Graevius, sibi controversiam de facillimi, ut iactari a suis audiverat, scriptoris et in quo legendo nunquam haeserat, intellectu

moveri, periculum faceret, respondet. Allato volumine primam statim inter epistolas, quae vulgo familiares appellantur, praelegere iubetur. Cuius verba Latina cum totidem Germanis redderet, se non falsum iudicio, Graeviumque grammatice, non Latine scire animadvertebat Gronovius. Coepit itaque pressius de vera vocabulorum vi et efficacia, quae ex plena historiae et rituum Romanorum cognitione dependet, cum eo agere et ea stupenti enarrare, quae ille nunquam audiverat, adeo ut vi veritatis victus et ad doctissimi viri suadam obmutescens, nihil se scire fateretur, sed telam, quam absolvisse iam ante crediderat, hoc magistro se retexere paratum esse ostenderet.

Discite ab illustri hoc exemplo, iuvenes, quam male de vobis mereantur iuventutis corruptores, qui, cum ipsi veram ad eruditionem viam ignorent, inutili labore adolescentiam vestram exercent et irreparabilis iacturae et primae aetatis male collocatae vobis auctores exsistunt.

Abiecto Graevius consilio in Hollandiam pergendi, et eiurato sterili legum studio, Daventriae manere constituit. Neque istius morae eum unquam postea poenituit, sed Gronovium deinde ut alterum parentem et unicum eruditionis, quam deinde est consecutus, auctorem semper est veneratus.

Ioannes Augustus Ernestius 1707—1781.

LXXXV.

Io. Matthiae Gesneri ineuntis adolescentiae rudimenta.

(I. A. Ernesti narrat. de I. M. Gesnero in opusc. orat. p. 310 sqq. G. Io. Niclasii epist. familiar. de Gesnero ad Eyringium in Biographia Academ. Gotting. vol. III.)

Natus est Io. Matthias Gesnerus anno superioris saeculi uno et nonagesimo in Franconiae villa prope Noribergam, sed Anspacensis ditionis, patre Io. Samuele, qui ibi sacra faciebat magna cum sanctitatis laude. Huius de maioribus etsi nihil certi possum tradere, unde planum fiat, an cum magno illo Conrado communes origines noster habuerit, tamen ab eo memini mihi ante multos annos scribi, se vestigiis quibusdam eo duci, ut ab eadem se stirpe ortum crederet; itaque non dubitasse, Conradum imitari quattuor elementorum figuras in epistolis signandis usurpando, praesertim hortante Io. Iacobo Gesnero, Tigurinae scholae clarissimo ornamento. Hoc autem ille scripserat mihi, quia vitio dederat nescio quis, quod eo signo uteretur, cum nihil praeter nomen cum illa familia esset commune, atque arrogantiae et vanitatis nomine reprehenderat. At ille non opus habebat ab alio petere nominis claritatem, qui sui ipse ingenii luce nomen suum satis illustre fecisset.

Patrem mature amisit, annos natus undecim; sed affectum patris et curam reddidit vitricus, qui non modo puerum ipse, quoad domi suae habuit, litteris erudivit, sed etiam in gymnasium Anspacense deduxit, in quo octo ipsos

annos convictu publico et disciplina litterarum usus est. Praeerat tum illi ludo Georgius Nicolaus Koehlerus, magnae vir doctrinae et excellenti docendi sollertia, sed qui fama digna carebat, quod ingenii monimenta prodere non curabat. Enimvero omni tali monimento illustrius est, quod sibi in Gesnero disciplina sua conformando peperit et nactus est ab huius grata eloquentia, qua imaginem eius expressit. Ille autem mirifice delectabatur hoc opere disciplinae suae, gaudebatque se a discipulo doctrina et eloquentia superari. Itaque cūm ad eum scribebat, utebatur hac praescriptione: Lentulus Ciceroni suo. In institutis viri huius, quibus eum longe a fastu paedagogico abfuisse et varietati ingeniorum accommodare solitum disciplinam pateat, hoc maxime numeraverim, quod Gesnerus libenter narrabat. Cum in lectionibus tradenda videbat, quae ad Gesnerum nihil pertinerent, intelligebatque eum, si nihil aliud, certe nihil acturum, quod vix sperari potest in alacrioris ingenii puero, et tempus perditurum, afferebat, quod ipse ageret separatim a ceteris, locum difficiliorem e scriptore Graeco aut e codice Hebraico, saepe etiam una continuatione et sine accentibus scriptum, verba item Graeca aut Hebraica temere ac nullo ordine contexta, quae, dum ceteros doceret, ipse explicaret et deinde explicata praeceptori traderet; qua re mirifice adolescentis ingenium ad quaerendum et investigandum acuebatur. Cum nihil attulerat per tales occasiones, patiebatur eum interea alias res tractare, litteras Syriacas, Arabicas, Aethiopicas, Samaritanas pingere, aut ad legendi facultatem exerceri, suppeditatis etiam libris. Atque ad harum linguarum omnium, etiam novitiarum, Francicae, Italicae, Britannicae initia percipienda privatim docendo, hortando adducebat. Quorum institutorum prudentiam sibi plurimum profuisse fatebatur, libenterqne commemorabat, quantum temporis illa cura praeceptoris et indulgentia lucratus esset, quod sibi in alia disciplina periturum fuisset et permultis praeclaris ingeniis perit per condiscipulorum tarditatem et superbam inscitiam praeceptorum, ad contemptum

sui trahentium et irascentium, si quis non vult bonas horas sibi perire.

Quis vero non ipsum lubenter Gesnerum de magistro eiusque disciplina narrantem audiat? praesertim cum ex eo intelligi possit, quae tum fuerit scholarum ratio, e quibus tot insignes viri exierunt. „Scholae Anspacensis sex tum classes fuerunt, quae ita nuncupabantur, ut prima esset ac diceretur, in quam parvuli primum ad elementa litterarum accipienda introducerentur, sexta, e qua discederent ad academiam. Sua unicuique praeceptori classis, sextaque adeo rectori assignata, cum aliis in scholis, Saxonicis praesertim, classes scholasticorum numerentur eo modo, ut astronomi stellas primae magnitudinis vocant maximas ad visum nostrum, minimis autem sextam classem assignant; porro non sibi unaquaeque classis solum et perpetuum praeceptorum habeat, sed iungantur interdum classes binae et duorum vel trium adeo praeceptorum institutione singulae utantur. Discesserant itaque sextani omnes in academiam; promotio scholastica nescio quam iustis de caussis in quartum annum dilata fuerat. Hinc factum, ut aliquot mensium spatio unum discipulum eumque nec optimae notae et pauperculum hominem haberet vir amplissimo quoque theatro dignus, ad quem audiendum confluere par erat multitudinem nobilium ingeniorum et luculentis didactris honorem illius industriae habere. Alium male habuisset, se ita deseri; nec negaverim, in Koehlero etiam morsiunculas interdum doloris exstitisse. *Nam,* ut recte Quinctilianus, *optimus quisque praeceptor frequentia gaudet et maiore se theatro dignum putat.* Ceterum summam moderationem adhibuit et in unum, quem dixi, discipulum id, quod toti classi debetur adolescentulorum, impendit; cumque posset illum iubere domum suam venire et ibi, quantum visum esset, laboris in eum impendere, ipse praeter commodum suum vestem quotidie forensem sumpsit, per aliquot centum passus perrexit in scholam, assedit in cathedra ostenditque adeo per se non stare, quo minus plus boni in schola fieret. Nactus deinde maiorem coetum

rebus ipsis docuit, se nec pluribus esse imparem; ita intentus erat omnibus, ita pro suo quemque ingenio tractabat, ita nec plura, quam praestari ab iis posse intelligeret, exigebat a tardis, nec, si qui essent alacriores, otio ad petulantiam patiebatur sollicitari. Noverat praeceptor noster, ignis instar habere ingenia adolescentulorum acriora, materiam illis opportune praebendam, in qua vis illa inquieta se exerceat, ne vel evagetur, quo non oportet, vel, deficiente materia, velut deflagret. Itaque totam instituendi rationem ad ingeniorum ingens discrimen componebat. Quos sciret vel plane a natura destitutos, vel ad alia omnia paullo post transituros, ab iis non reposcebat acriter pensa reliquorum, sed satis habebat, si quiete vel aliud agentes assiderent, nec impedirent ceteros. Erat inter nostros commilitones homo a litteris reliquis aliquantum alienus, sed qui enixam in musicis fellicissimamque operam ponebat; hic iam tum elocutionis etiam musicae (compositionem vocant artifices) initia arripuerat et, dum dictata de philosophia aut materiem orationis scribebant alii, suum codicem notis musicis implebat et manibus pedibusque metiebatur numeros. Non erat ita hebes praeceptor noster, ut non animadverteret, illum alia omnia agere, sed, quod illum mallet aliud agere, quam nihil agere (hoc est frustra et invita Minerva tractare alias litteras) prudenter dissimulabat. Hic egregius non ita multo post musicus factus hodie eminet in eo genere in ipsis principibus et lucrosiorem expertus est eam artem, quam mille alii litteras."

Est sane res maioris prudentiae et artificii quam vulgo credunt, multos in tanta ingeniorum, adde etiam profectus diversitate, una disciplina continere, sive docendi rationem ita ingeniorum varietati accomodare, ut eodem tempore tarditati et celeritati consulas, illam incites, hanc non retardes et frangas. Eius rei nec una ratio est, nec eadem cadit in omnia docentium ingenia.

LXXXVI.

Gesnerus ad munus docendi in scholam Vinariensem vocatur, tum rector scholae Thomanae renuntiatur.

(Narrat. de Gesnero p. 314. sqq.)

Cum bene intelligeret Buddeus, quanta materia esset in ingenio Gesneri, et iam etiam doctrina in multis generibus litterarum, imprimisque in eo, quod ad humanitatem pertineret, commendatione sua perfecit, ut ad munus docendi in scholam Vinariensem vocaretur, cui per tredecim annos summa cum fide et pari laude praefuit. Ea conditio longe inferior ingenio et doctrina viri erat. Itaque subinde expetebatur ad maiora et lautiora munera. Sed erant alia, per quae retinebatur ita, ut nnlla eum conditio ab his sedibus abstrahere posset. Primum omnium Frid. Gothilf. Mareschalli e Greiffiis, qui principem in aula ducis locum tenebat, constantissima benevolentia et inusitata liberalitas. Nam cum esset ipse doctissimus et omnium litterarum amantissimus, perspexissetque Gesneriani ingenii et doctrinae praestantiam, ita Gesnerum adsciverat, ut quotidie apud se cenaret, etiam inter illustres convivas, secum in praedium iret, in bibliotheca, quam egregie instructam habebat, sederet disserendi causa, denique super omnibus, quae ad ecclesiasticam et scholasticam rem pertinerent, eum consuleret. Cuius rei etiam hunc fructum libenter Gesnerus commemorabat, quod cum multis illustribus viris notitiam, etiam amicitiam contraxisset, per quas multis deinde profuisse. Accesserat etiam cura exquisitae bibliothecae, quae de Logaviana et Schurzfleischiana instructa erat in arce principis, et librorum optimorum, praesertim historicorum, copia abundabat. Huic bibliothecae septem ipsos annos ita praefuit, ut quicquid temporis ab aliis curis et laboribus vacaret, in ea
et multo magis in commentariis conficiendis

non qui nomina librorum ordine certo digesta haberent, sed qui argumenta, quae vel totis libris vel singulis librorum partibus, non modo ex instituto et de consilio librorum universorum, sed etiam obiter explicarentur. Eam rem sic agebat, ut libris singulis perlustratis, saepe etiam lectis, titulos rerum in schedis notaret et in cistulas ad certum ordinem dispositas conderet, quas ad extremum, cum omnes perspexisset, in commentarios digereret atque ita et sibi et aliis facultatem pararet reperiendi, quicquid de quaque re in libris illius bibliothecae esset. Aliquoties eum audivi, cum diceret, se in illo tanto ac diuturno labore hac spe sustentatum esse, quod putaret, eo perfecto communis cuiusdam oraculi sedem in illa bibliotheca fore, quod et ipsis et per se consulentibus responsa de omnibus rebus daret; interdum per iocum oraculi nomen etiam ad se transferebat. Sed illa spes ad irritum cecidit, fortuna quadam, ut tum interpretabatur, adversa, ut eventus docuit, providentia quadam divina, quae vincula illa, per quae Vinariae tantopere adstringeretur, abrumperet, ut ad loca deduceretur ea, in quibus dignum tali ingenio atque doctrina theatrum et amplior bene de litteris merendi materia contingeret. Et solebat hoc imprimis libenter usurpare sermonibus, nec modo providentiae de se tam bene meritae praedicandae causa, sed etiam, ut alios confirmaret et eorum spem ad illius providentiae benignam sapientiam converteret, nihil sibi omnium, quae animo suo sibi destinasset et in magna felicitatis parte expetisset, contigisse, sed omnia alia, votis suis ac spe maiora. In quibus maxime ponebat illum Vinariensem casum. Nam mortuo Guilielmo Ernesto Duce, cum Mareschallus ab administratione rei publicae summotus, multique, ut fit, una loco pulsi essent, qui eius gratia locum suum obtinuissent, malum illud etiam Gesnerum contigit praeter ipsius et omnium opinionem. Etenim ita etiam novi principis gratia floruerat, ut eum certe salvum omnes, multi etiam honoratiorem fore putarent. Amabat [illegible] litteras; commendatus ei Gesnerus erat a Buddeo,

quo praeceptore quondam Halis princeps usus erat; saepe ei liberalissime promiserat aliasque benevolentiae significationes dederat. Venerat aliquando ad eum, qui thesauros auri atque argenti maximos aliquo loco diceret latere, eosque se indagatos arte sua eruturum promitteret. Benigne accepta erat impostoris promissio; ipse dum perficeret promissa, laute habitus. Dies unus, alter, tertius; nihil fit. Cum dies bene multi abissent, non exsoluta fide, urgereturque a principe, redactus ad angustias, nihil, ait, sibi ad inveniendum obstare praeter unam formulam, cuius vim assequi satis non posset; in hoc incili se haerere; si quis inde se posset expedire, ad effectum rei susceptae venturum. *Eundum est ad Gesnerum*, inquit princeps; *omnia ille scit.* Itur ergo ad eum. Gesnerus negat, se artes magicas didicisse aut exercuisse; enimvero consideraturum formulam. Venit in mentem, se huiusmodi quid in libro aliquo vidisse, forte Trithemiana Steganographia. Hanc ergo primam adit; reperit ecce totam formulam. Re ad principem delata et fraude cognita, multatus, uti dignus erat, impostor abit; ceterum Gesnerus laudibus ferri: hunc vero esse virum; eum minus digne nunc haberi; ubi ad se summa rerum venerit, longe ornatiorem fore. Itaque ei tum, ut dixi, non modo incolumitas, sed etiam novi honores opinione hominum et fama destinabantur. Sed omnia alia evenere. Adempta est bibliothecae cura, quamvis deprecantibus omnibus, qui aliquid apud principem possent, et hunc unum idoneum ei curationi asseverantibus. Rogabat, ut sibi modo absolvere opus institutum liceret. Id quoque negatum est. Tum vero displicere Vinaria, nec modo hanc ob caussam, quod intra muneris scholastici augustias cogeretur, sed quod etiam nimis affligi videret domum in se tam beneficam et alios, quos coleret atque amaret. Itaque cum ei paullo post oblata esset gymnasii Anspacensis gubernatio, libenter accepit conditionem tamquam divinitus oblatum donum, quod etiam commendationis non parum haberet a facultate bene merendi de schola et urbe de se tam bene merita.

LXXXVII.

(Narr. de Gesnero p. 317. sqq.)

Verum Anspacensis commoratio non fuit diuturna, tredecim fere mensium. Vacabat tum apud nos rectoris in schola Thomana locus. Cum eum senatus mandare quam maxime idoneo viro cuperet, primoribus collegii Gesnerum impense commendavit illustrissimus Bunavius, qui tum senatui ecclesiastico Dresdae summa cum dignitate praesidebat, et omnibus, qui exquisitius docti essent, verissime et enixissime favebat; nam casu in hac urbe erat inspiciendarum rerum academicarum caussa. Acceptum est saluberrimum consilium ab iis, qui maxime consultum scholae cuperent, et acceptum est hoc facilius et lubentius, quod non modo de doctrina viri constabat, sed erant etiam, quibus exquisita viri humanitas et elegantia nota esset. Etenim non multis annis ante Thomas Fritschius, qui nobilem librariam in hac urbe factitabat, cum Ienae Buddeum magnifice de eius doctrina iudicantem audisset, cupiditate eius cognoscendi incensus, dum huc rediret, per Vinariam iter fecerat atque ipsum secum Lipsiam adduxerat, tum animi caussa, tum ut eius consiliis in rebus nonnullis, quas pararet, imprimis in lexici Fabriani itemque historici repetitione uteretur. Is eum adduxerat in conventum virorum primorum, Stiglitii, Boerneri, Baudisii, Menkenii, Mascovii, Wagneri, qui singulis diebus Martis ab hora sexta coibant. Erant ibi primum sermones plures de litteris; sequebatur cena frugalis, quae et ipsa sermonibus talibus exhilararetur. Munus excipiendi convivas in orbem ibat, et licebat adducere, si cui hospes venisset, cuius ingenium ab talis conventus consilio non abhorrere videretur. Narrabat mihi Stiglitius, quo tempore consilia de eo vocando agitabantur, omnes mirifice captos fuisse viri ingenio, doctrina, quas sine ostentatione paedagogica proferretur, et morum urbanitate.

Invitatus igitur est litteris senatus ad scholam Thomanam gubernandam. Nec dubitavit accipere, quod deferebatur, non quod paeniteret sortis suae et Anspacensium, sed quo sibi maiorem facultatem dari putaret bene de litteris merendi, nec sine numine divino eam sibi conditionem oblatam. Venit huc mense Septembri anni trigesimi, exceptusque est ita, ut facile agnosceret propensissima omnium in se studia et summam in sua doctrina et dexteritate fiduciam, cum ei non modo honos a primariis viris haberetur maximus, sed etiam potestas fieret rei scholasticae, ut videretur, ordinandae. Saepe erat cum primoribus civitatis vel colloquendi vel cenandi caussa; ei liberi in disciplinam dabantur; omni genere liberalitatis cumulabatur. Unum ex eo genere commemorasse sat erit. Cum prima hieme nondum absoluta scholae exaedificatione et domicilii, quod ei destinabatur, longius ab schola habitaret, publice dabatur pecunia, ut sellam adopertam conduceret, qua deferri in scholam et, finitis lectionibus, referri domum posset. Sed omnium maxime et constantissime eum amabat ac tuebatur Stiglitius, scholae Thomanae tum curator, qui etiam amorem eius ad extremum ita conservavit, ut etiam audito Gesneri nomine gauderet. Incredibile dictu est, quantum scholae illi profuerit, non modo disciplina eius rectius et novis legibus constituenda et auctoritate regenda, sed etiam litteris nova tum apud nos et pulcherrima ratione tradendis. — Docendi genus non modo perspicuum et accuratum erat, sed etiam suavitate quadam ingenii commendabatur, sine ostentatione doctrinae et lectionis. In enarrandis auctoribus Graecis et Latinis haec spectabat: primum, ut studiosi recte intelligerent verba et sententias; deinde, ut sententiarum et verborum virtutes sentire consuescerent et gustu elegantiae et pulchritudinis imbuerentur imbiberentque sensum honesti ac decori; sed nihil magis, quam ut seriem totius orationis perspicerent modumque rei cuiusque tractandae. Itaque etiam celerius plerumque in interpretando progrediebatur, nec probabat eos, qui in nimis multas et minutas partes

in interpretando conciderent v. c. orationem Ciceronis unam, in singulisque diu haererent per speciem diligentiae, quae nihil praetermitteret et in succum et sanguinem discentium convertere omnia conaretur. Nam ita cum singula diligentius perspicere viderentur tirones, totius perspiciendi facultatem adimi. Eandemque ob caussam non probabat intervalla plura et longiora fieri lectionum super eodem scriptore aut eadem oratione, sed eandem rem continuatis horis et sepositis interea aliis rebus agi volebat; ita brevi tempore integras orationes absolvi, ut, qui mediocrem diligentiam adhiberent, totius argumentum, partes omnes earumque coniunctionem et explicationem tenerent. Eius rei rationem ab eo in praefatione Livii Lipsiensis accurate expositam cognoscere possunt, qui volent. Nos quidem et ipsi hanc rationem constanter secuti sumus in schola Thomana. Per vices, ut hoc utar, horis antemeridianis ita interpretabamur orationes et epistolas Ciceronis, ut unum et alterum librum epistolarum uno tenore, senis per unam hebdomada dierum horis, explicaremus; iis mensis fere unius spatio absolutis, eodem modo aliquot orationes enarrabamus. Ita vertente anno, cum summa rerum actarum fieret, dimidium certe epistolarum volumen et sedecim amplius orationes absolutas constabat. Item cum libros de Officiis proposuissemus, singulos libros una continuatione eo, quo diximus, modo explicabamus, ut intervalla non capitum et parvarum particularum, sed librorum fierent. Itaque qui tres aut quattuor annos usi erant disciplina nostra, Ciceronem non ex articulo uno et item altero, sed permagna sui parte cognoverant; eamque rationem discipulis nostris plurimum scio et ad intelligendum et ad scribendum profuisse. Licebat autem nobis in illa schola talibus institutis uti, quod carebamus miseris illis legum vinculis, quibus in aliis scholis obnoxii sunt etiam boni praeceptores, ut non possint suis institutis uti; et id faciebamus inconsultis iis, qui de more inspectorum nomen ferrent. Deylingio memini me hoc narrare, cum plures iam annos illa ratione usus eram. Cum ei factum

9*

excusare instituerem, ille vero etiam me prudenter fecisse aiebat; nam consulendo saepe bona consilia corrumpi. Me vero rectius inspectoribus omnibus intelligere certe debere, quid esset utile iuventuti.

LXXXVIII.

De vera laudis et gloriae via.

(Ernest. opusc. orator. p. 144 sqq.)

In pulcherrimo illo sermone, quem Xenophon in prima Cyropaedia fingit habitum esse inter Cambysen et Cyrum, quaerenti filio, quo maxime modo sapientiae prudentiaeque opinionem comparare possit, ita respondet pater, ut eum non opinionem sapientiae, sed ipsam sapientiam persequi velit et ita de opinione eius et gloria securum esse iubeat. Ea sapientia quamquam est diversa ab hac, cuius nos scientiam laudemque vel tenemus vel appetimus, tamen, cum similis generis sit, simillimum opinionis laudisque aditum habeat necesse est, nec quicquam diversum a Cambysis ratione suadere potest, qui sapientiae huius eruditae gloriam appetenti bene fideliterque consulere velit.

Est autem consilium illud, ut omnia alia et illius sermonis et totius Cyropaediae bona, ductum e Socratis disciplina, qui unam veram et certam laudis viam esse praecipiebat, si quis hoc ageret, ut, in quo laudari cuperet, id ipsum studiose diligenterque tractando consequeretur. Quamquam Socrates, cum multa alia a poëtis, antiquissimis sapientiae magistris, sumpserit, etiam hoc ab Aeschylo accepit, apud quem Amphiaraus non optimus videri, sed esse vult (Sept. ad Theb. 598.), contentus ipsa virtute sine opinione eius ac laude.

Ac nescio an poëtae, ut in plurimis aliis, ita in gloriae studio regendo ipsos gloriosos virtutis magistros, philosophos, praeceptorum severitate superarint. Nam philosophi

de gloria disputantes, quis nescit, quam parum inter se consentiant, aliis omne gloriae studium repudiantibus, quamquam ne hoc quidem satis constanter, aliis non contemnentibus, si sit cum sapientiae et virtutis studio coniunctum, et pro acerrimo rerum bene gerendarum stimulo probantibus. Exstant Hieronymi Osorii quinque de gloria libri ita elegantes et copiosi, ut, sicut Sadoleti de philosophia disputationes Hortensii Ciceroniani, ita hi Ciceronianorum de gloria librorum desiderium lenire possint. Sed omni illa docta copia disertior est simplex Aeschyli brevitas, iubentis curare non opinionem virtutis, sed vim virtutis ipsius, eaque esse contentum.

Profecto, quamquam ita iucundam auribus humanis esse credimus laudem et praedicationem, ut eam Themistocles recte suavissimum acroama dixisse videatur, non modo Horatio poëta, sed etiam philosophis de Socratis schola viri iudicium probantibus et celebrantibus, tamen omni laude sua iucundior sit necesse est ipsa virtus et sapientia, cuius vim et praestantiam nemo, nisi qui eam possidet, satis perspectam habet, sitque adeo ipsa una vera et digna sui laudatrix, non vanitate orationis, sed sensus veritate commendans se ac sui possessionem. Nec dispar est ratio doctrinae omnis liberalis, cuius laus, non modo illaudata illa imperitorum, sed etiam verissima peritissimorum, quam potest habere suavitatem tantam, quae vel minimam partem aequet illius, quam sensus ipse eruditarum copiarum habet, quas animus apud se repositas ac digestas videt. Itaque subeat mirari doctos homines, qui adeo sitiunt laudes doctrinae suae, ut etiam ad minutas et sordidas artes descendant, per quas magnam de se opinionem ac famam vel commovere vel propagare, frustra plerumque, conentur. Non est ita obscura aut parva res excellens doctrina in quocunque genere, ut non sine talibus artibus inclarescat, praesertim cum se copiasque suas ad usum communem patefecit. Sed si nullam sui admirationem faciat nec celebretur longe lateque sermonibus iudiciisque multorum,

nihilo tamen nec ipsa minor fiat, nec minus oblectet et pascat conscium domini animum. Ac nescio quomodo in hoc genere laudis ac gloriae idem accidit, quod in ceteris bonis humanis. Nam ut videmus saepe divitias fugere ab iis maxime, a quibus maxime expetantur, cum aliis se ultro offerant, qui nihil minus egerant quam ut divitias consequerentur, sic laus magna et praeclara fama doctrinae raro contingit his, qui eam omnibus artibus atque insidiis captant, saepius illis, qui eius negligentes ac securi omne studium in ipsa doctrina augenda consumunt.

Nec difficile fuerit intelligere, in illa ipsa curiosa ambitione esse impedimenta laudis et gloriae maxima. Nam abducit homines a curandis agendisque rebus ipsis, a quibus vera laus venit, implicatque multis minutis curis et negotiolis, quae dilacerant et carpunt tempus, quod in ipsis doctrinae studiis debebat consumi. Ac sicut, qui divitiis omni modo congerendis augendisque nimis inhiant, iis multas et magnas struit ipsa cupiditas insidias, ut iacturas saepe faciant maximas, dum maximos quaestus facere conantur, ita qui tam cupide venantur doctrinae magnae opinionem et famam, in multa temere incurrunt, quae minuant potius illam opinionem quam augeant. Mercatores quidem cum hoc de industria agunt, ut divites videantur, peritis suspicionem movent rei non optime constitutae. Nec mirum sit, si illa curiosa opinionis magnae captatio doctos homines suspectos reddat animi non optime conscii. Virum doctum memoriae traditum est fuisse, qui aviculas cantrices quam plurimas, clam consuefactas canere: *Magnus vir est* — — dimiserit sperantem, quaquaversum nomen suum eas vulgaturas et admiratione suae magnitudinis veluti divinitus demonstratae et commendatae omnia impleturas; at illas libertatem adeptas multum valere iusso magistro cecinisse, quod natura, haud paullo melior et verior magistra, docuisset. Philosophum crediderim hac fabula notatum fuisse, qui sua decreta et inventa pro solis veris et subtiliter excogitatis laudando, cetera omnia con-

temnendo, consuefecerit psittacos suos, discipulos volebam dicere, sibi invicem de magnitudine praeceptoris identidem occinere, cum illi interea, aliis postea immisti et veras naturae voces audientes atque imitantes, istius cantilenae obliviscerentur.

Nihil profecto agunt, qui verbis vel consequi opinionem vel augere tentant. Rebus et factis opus est ad veram et certam laudem, eaque omnium oratione sunt et ad gloriae magnitudinem efficaciora et ad perpetuitatem stabiliora. Bene dicendi laudem adamasti? Noli audientibus promittere, te perspicue, subtiliter et ad movendos animos apte dicturum, ne similis videare pictoribus apud Plinium et Aelianum rudibus, qui necesse habebant picturis titulos apponere tales: *Hic bos est, haec arbor*, ut tituli professione discerent spectantes, quid artifex videri illam picturam vellet; dic modo perspicue, subtiliter, eleganter et graviter, ipsa oratio sensum eorum bonorum animis admovebit. Vis in quocunque genere doctrinae excellere videri? Fac assiduitate et diuturnitate discendi, exercendi, meditandi, ut excellas, et profer illam ita partam doctrinam bene docendo, accurate eleganterque de praeclare inventis et cogitatis scribendo; sat cito laus veniet, si tanti tibi est ab iis ipsis, qui te nunquam viderunt, nec unquam te audiverunt, laudari. Atque in hoc genere melior est conditio doctorum quam divitum. Nam hi non una de caussa libenter occultant modum divitiarum putantque sibi expedire, si de iis homines infra veram magnitudinem existiment. At in doctrinae studiis quanto quis est opulentior, tanto tutius ostendit opes, tanto iustiores proferendi caussas habet, propterea quod, ut magis protulerit in medium, ita magis non modo sine iactura et damni periculo, sed etiam cum certo quaestu profuerit aliis, qui est unus maximus et omni laude maior et bono viro iucundior et amabilior fructus.

LXXXIX.

Varia.

(Ibid. p. 174. 270 sq. 97 sq.)

Rusticum aiunt, cum in foro venalem haberet corvum vidissetque avem parvam e genere cantricium magna pecunia vendi, suae haud paullo maius pretium dixisse. Ibi cum miratus esset aliquis, quod avi, bene canere haudquaquam doctae, tantum pretium statueret, rusticum contemptim respondisse: Tanto melius cogitat. Nulla muliercula tam nihil intelligit, nemo puer tam rudis est ac stultus, quin stuporem rustici sentiat atque rideat. Sed ille rusticus tam stupidus nullus uspiam fuit, sed ad irridendam eorum inscitiam excogitatus est ac fictus, qui, cum sint infantes ac barbari in dicendo ac scribendo, tamen non modo recte ac bene cogitandi scientiam et laudem sibi vindicare et hoc nomine imperitis hominibus se venditare, sed etiam bene dicendi ac scribendi artes, ut inanem verborum curam et scientiam, contemnere audent.

Plato disputare solebat dolorum et voluptatum sensum, per quem tanquam clavum animus humanus corpori esset affixus, facere, ut homini sensibilia viderentur et clariora et veriora rebus inaspectabilibus et sola mente contuendis, eumque esse fontem stultitiae et miseriae humanae. Nam ea opinione deceptum averti a rerum divinarum et virtutis non modo intelligentia, sed etiam studio et amore, implerique admiratione et amore voluptatis rerumque omnium, quae essent eius ministrae, ut divitiarum honorumque; unde praecipitem ruere in omnia vitia. Verum nos etiam naturale illud malum augemus studiose et assidue, cum aliis multis rebus, tum negotiorum humanorum multitudine, quae etiam anquirimus et cumulamus omni ratione, ac saepe supra vires incitati vanitate nostra et cupiditatibus vel gloriae vel pecuniae vel utriusque. Nam ea re animus humanus

primum ita dispergitur per res sensibiles et quasi dilaceratur, ut se non possit, cum opus est, colligere et totum ad cogitandas res divinas ac caelestes convertere, aut iis satis immorari immorandoque earum verum gustum capere; deinde vero alimenta nimis magna accipiunt cupiditates et ita non modo ille Platonis clavus altius defigitur, sed etiam multi novi et prope maiores adiguntur. Hi sunt illi Cupidines, qui in gemma apud Maffaeum magno nisu et contentis viribus papilionem, h. e. animum, cuius illum symbolum fecit antiquitas, amplexi alas eius discerpere conantur; hic est Cupido ille Sponianus, qui papilionem in arbore iam haerentem insuper magno clavo affigere parat. Enimvero, ubi animus tot per annos implicatus rebus humanis haesit omnibusque vinculis affixus tenetur, an mirum est, si nec sustinere vocem iubentis de colligendis vasis cogitare, nec cogitationem talem, ne si velit quidem, serio suscipere potest? Non profecto facile aut repente revelli tot tamque alte adacti clavi possunt. Facilius adigas clavum quam revellas. Magno labore, etiam tempore opus est; praesertim cum longa consuetudo nobis ista vincula commendavit et vel invitos animos ad se trahit, ut in fabulis Psychen Consuetudo ancilla per capillos trahit, quo vult. Itaque ut medici homines ad senilem aetatem appropinquantes iubent valetudinis caussa circumcidere negotiosam vitam, sic multo magis animi caussa convenit minuere paullatim rerum humanarum curam et ita initium vasorum colligendorum facere magisque curiose praeparare animum ad transitum, qui in morte repente a rebus sensibilibus et corporeis fieri ad intelligibilia et caelestia debet, ne illis repente sine ulla recuperandi spe detractis, cum e rebus divinis et summo bono, Deo, nihil voluptatis capere per disciplinam Iesu Christi didicerit, ex hac ipsa vita et in ipso animo orcum quendam deportet et in omnem aeternitatem sit miserrimus. Magna haec est sapientia et haud scio an maxima, sed quae paucos omni tempore discipulos nacta est.

Nulla alia est via ad accuratae et paratae doctrinae facultatem, nisi quae per exercitationes crebras, diuturnas et constantes ducit. Hanc ingressi olim Graeci et Latini ad eam perfectionem doctrinae omnis, ad eam bene dicendi scribendique de rebus omnibus paratissimam facultatem pervenere, quam admiramur et laudamus omnes, assequi nullam aliam ob caussam non possumus, quam quod exercendi industriam et pertinaciam imitari non sustinemus. Nihil dicam de Demosthene, cuius pertinacissimas exercitationes Graecorum Latinorumque litteris celebratas scitis. Ciceronem nihil aliud, secundum ingenium quidem, tam promptum lingua calamoque fecit, quam exercitationis et contentio et constantia. Admiratos vos interdum animadverti (et quis non admiretur, nostros homines, qui vel disertissimi videantur, comparans) cum audiretis, eum in consulatu, audita seditione, quae in theatro propter legem Rosciam commota esset a plebe, repente advolasse, evocatamque inde plebem oratione disertissima ita placasse ac mitigasse, ut non modo ignosceret Roscio, cui paullo ante succensuisset graviter, sed etiam laudibus et plausibus hominem prosequeretur; eodemque anno cum Catilina, de coniuratione merito suspectus atque lege Plautia reus, in senatum tamen venire ausus esset, incensum ira dixisse pulcherrimam illam Catilinariam primam; altero die, cum fugisse Catilinam cognovisset in contionem prae laetitia escendisse et habuisse alteram; item tertiam et quartam una eademque die, cum deprehensi coniurati essent, nulla commentatione usum; similiterque multas multis temporibus, inque his Philippicas nonnullas. Quid? illud non promptissimae doctrinae et eloquentiae admirandum atque illo superiori prope maius documentum est, quod idem tribus annis omnes philosophicos libros, neque modo, qui exstant, sed etiam, qui periere, ut Hortensium, de Gloria, plures oratorios, ut Brutum, Oratorem, Partitiones, Topica scripsit; mensibus autem non totis duobus, Aprili et Maio, unaque rusticatione tres libros de Natura deorum, duos de Divina-

tione, Catonem, Laelium; neque id tempore a molestiis vacuo, sed pleno turbarum, periculorum et timoris, Caesare paullo ante interfecto, interpellatus modo litteris amicorum, modo salutationibus, etiam Octavii e Graecia redeuntis. Adeo ille et orationis facultatem et omnis doctrinae elegantis accurataeque copiam in potestate habebat! Sed totum hoc, quantumcunque est, quod est profecto, ut intelligitis, maximum et prope incredibile, id omne ille consecutus erat, ut ipse fatetur, exercitationibus, primum scribendi, commentandi, declamandi cum summis Romae, Graeciae, Asiae oratoribus et apud rhetores praestantissimos, deinde disserendi ac disputandi apud Antiochum, Philonem imprimisque Diodotum Stoicum, iisque quotidianis et nunquam intermissis, sed inde a iuventute usque ad ultimum vitae annum continuatis. Quare agite, quaeso, cuius dicendi vim disserendique subtilitatem et elegantiam admiramini, eius industriam in exercendo imitamini. Ita, ad quodcunque genus doctrinae appuleritis animos, in eo accuratam promptamque scientiam, et laudis utilitatisque privatim ac publice plurimum habituram, consequemini. Ardua via est, scio et fateor, molestiarum atque etiam sollicitudinis plena, qua vos contendere ad eruditionem volo. Sed nullam aliam scio; immo nulla alia est, quae vos perducere, quo velim, possit. Et accuratae parataeque doctrinae laus petitur; operae pretium est, credite mihi, vel graviora et molestiora facere ac perpeti.

Davides Ruhnkenius 1723—1798.

A.

EPISTOLAE.

XC.

Henrico Gally, Canonico Norwicensi etc., S. P. D. David Ruhnkenius.

(Dedicatio alterius editionis Lexici Timaei.)

(Dav. Ruhnkenii orationes, dissertationes et epistolae. Ed. Frid. Traug. Friedemann. Brunswigae, 1828. p. 66 sqq.)

Quadriennium prope est, cum Ioannem Albertum, V. Cl., tum gravi morbo misere afflictum, pro artissima, quae mihi cum eo intercedit, necessitudine ad Fontes Spadanos comitabar. Cuius itineris duplicem uberrimumque fructum me cepisse, non mediocri cum voluptate recordor. Nam primum, quid iucundius mihi magisque exoptatum esse poterat, quam carissimum Musis animoque meo hominem corporis vires, quas vis morbi fregerat et debilitarat, salutarium aquarum usu recuperasse? Tum, quanta in felicitatis parte me ponere existimas, per hanc occasionem auspicato notitiam inter nos esse contractam? Profecto nunquam ille dies memoria excidet mea, cum casu et fortuitu in te incidens, ignotus in ignotum, nescio quem de litteris sermonem inferrem, tuque statim oculis, vultu, oratione eum laudatarum artium amorem ac scientiam proderes, nihil ut tam ardenter cuperem, quam ad intimam tuam, si fieri posset, consuetudinem et familiaritatem admitti. Ac facilem mihi aditum reddidit sive prompta humanitas tua, sive

morum studiorumque similitudo. Ex eo tempore nullus temere dies praeteriit, quin, quoad licuit, in amoenissimis ad fontem Geronsteram ambulacris de divinis humanisque litteris sermones inter nos haberemus. Hic in te cognovi admirabilem quandam doctrinae de Graecis Latinisque fontibus ductae copiam, eandemque cum acerrimo omnis elegantiae sensu coniunctam. Quod meum de te iudicium alter congressus noster, cum superiore anno Bataviam visebas, plane confirmavit. Iam quid dicam de singulari, quo flagras, bene de litteris merendi studio, in quo tibi comparare possum perpaucos, anteponere neminem? Non est, quod huius rei argumenta repetam altius. Vel hunc Timaeum testem cito, quem, nullo merito meo provocatus, cum Parisiis ageres, ex bibliothecarum latebris protractum et, quam fieri poterat, accuratissime descriptum mihi edendum concessisti. Ac tantum abest, ut aut studium litteras iuvandi tuum, aut erga me liberalitatem intra hos fines continueris, ut subinde alias veteris aevi reliquias, cum ex tua, tum ex publicis Angliae bibliothecis depromptas, non mihi tantum, sed amicis etiam meis earundem litterarum amore captis, prolixe suppeditaris. Plurimum quidem ornamenti tibi aliquando debebunt Herodotus, Orpheus, Phalaris aliique. Ego vero cum nihil aliud habeam, quo tot tam luculenta in me collata beneficia remunerer, tuum tibi remitto Timaeum, a me, ut facultas tulit, expolitum. Hunc igitur explicata fronte velim accipias, tibique persuadeas, neminem esse vel unquam fore, qui liberalitatem tuam aut gratiore animo prosequatur, aut libentius crebriusque dilaudet. Vale. Dab. Lugduni Batavorum, Kalendis Maii MDCCLIV.

XCI.

Eximio eruditissimoque viro W. F. van der Wilp S. P. D. David Ruhnkenius.

(Ibid. p. 702 sqq.)

Etsi nimis audacter facere videor, cum te, vir doctissime, tot tamque variis negotiis distentum litteris meis interpello, tamen ab insigni tua, quam optimus quisque celebrat, humanitate facile me veniam impetraturum confido. Ut vero ratio, quae me ad scribendum impulit, penitus a te intelligatur, rem omnem, quam potero brevissime, exponam. Accidit nuper, ut Ioannes van der Linden, verum librariorum ornamentum, et Daniel Goedval, vir nec ipse laude sua fraudandus, me convenirent, quaeritantes, num rationes meae ita ferrent, ut studiis illustris florentissimique iuvenis Sixii praeesse possem? Quam quidem conditionem cum cupidissime amplexarer, de laudatorum virorum sententia nihil prius faciendum fuit, quam ut tibi, vir eximie, cui idonei praeceptoris eligendi cura omnis demandata est, qui essem, quave studiorum ratione uterer, bona fide indicarem; ut nimirum tu ex iis iudicium facere possis, repudiandusne sim, an studiis tanti adolescentis praeficiendus? Quamquam, ut verum fatear, vix a pudore, quem mea mihi natura tribuit, impetravi, ut has ad te litteras darem. Nescio enim, quomodo animus ab iis proferendis abhorreat, quae cum mea aliqua laude videantur esse coniuncta. Diu igitur tergiversantem vicit tandem obstinata amicorum voluntas, mihique hoc, quidquid est, litterarum extorsit. Atque ut hinc ordiar, scito, vir praestantissime, me honestis parentibus in Pomerania Borussica natum esse, iisque in primo aetatis flore eruditum artibus, quibus puerilis aetas impertiri solet. Annum agens sextum decimum, patria valere iussa, in celeberrimas Germaniae academias me contuli, ibique per

quadriennium et quod excurrit, ita sum versatus, ut nonnihil quidem temporis philosophiae, plurimum vero iurisprudentiae, historiae et antiquitati tam Graecae, quam Romanae tribuerem. Eodem tempore ad moderanda studia generosissimi iuvenis ab Uffenbach eligebar, quocum aliquanto post, perlustratis nobilissimis Germaniae et Belgii regionibus, in hanc academiam sum delatus. Ex quo vero ille morte patris conturbatus in patriam remigravit, ego litterarum humaniorum dulcedine et praestantium magistrorum doctrina captus, in Batavia, vera omnis humanitatis nutrice, permanere ibique fortunam meam, si fieri posset, stabilire animum induxi. Interea in hac Musarum sede ita litteris vacavi, ut et meam auxerim doctrinam, et gratiam apud multos inierim sane quam luculentam. Obtigerunt autem mihi duces auctoresque complures, quos si vel voto fingendi fuissent, neque elegantiores neque doctiores optare potuissem, in iurisprudentia quidem Gerlacus Scheltinga, in antiquit. et histor. Fr. Oudendorpius, in Graecis Ioannes Alberti et imprimis vir summus Tiber. Hemsterhusius, in quo ego colendo patriam mihi constitui pietatem. Horum omnium testimonia mihi non desunt, si haec vel a te, vel ab ipso illustri consule exigantur. Quamquam vix privatis elogiis opus videtur, cum nuper reverendus Alberti in praefat. ad Hesychium publica me laude dignum putavit. Sed ego profecto rubore suffundor, qui ea de me scribere cogor, quae tibi magnificentius quam verius dicta videri possunt. Verum prohibeat a me Deus Thrasonum insolentiam, ut prohibet certe. Interim in hac academia horas subsicivas Constantini Harmenopuli Graeco promtuario iuris Romani emendando et illustrando dicavi, invitatus ad id cum mss., quae bibliotheca publica asservat, copia, tum vero magni Hemsterhusii mei voluntate. Haec fere sunt, vir praestantissime, quae ad studiorum meorum rationem pertinent, quaeque te ignorare nolui. De moribus meis mallem alios iudicium ferre, quam me ipsum. Brevi tamen sic habeto, me, fastiditis saeculi deliciis, soli mihi et Musis vivere, et cuiusvis potius rei

laude, quam integritate vitae et candore vere Germanico cuiquam mortalium concedere. Quodsi haec erudiendi generosissimi Sixii provincia tua mihi commendatione obtigerit, te ego tanquam fortunae meae auctorem et amplificatorem nunquam non suspiciam, cultuque prosequar sempiterno. Atqui hic finem facerem scribendo, nisi scire cuperem, num forte praesentia mea adiumento mihi esse posset. Quodsi te ita iudicare intellexero, quam primum me in viam dabo. Etiam atque etiam vale, vir eximie, mihique benevolentia tua, qua nemini deesse soles, quaeso, subvenias. Lugd. Batav. d. 30. Dec. MDCCXLV.

XCII.

Viro eximio Io. Dan. Rittero David Ruhnkenius S. P. D.

(Ibid. p. 551. sqq.)

Quoties de te beneficiisque tuis in me collatis cogito (cogito autem saepissime) toties mihi ipse succenseo, quod, te haud salutato, e Saxonia discessi. Sed haec atque alia ineuntis adolescentiae vitia, cum iam praeclaris, ut mihi blandior, virtutibus sint emendata, non dicam tu, quem ego longe omnium humanissimum aequissimumque cognovi, sed ne alii quidem rugosa mihi fronte exprobrabunt. Tibi quidem, o Rittere suavissime, semper iucundum erit, eiusmodi discipulum finxisse, qui et gratum piumque se praebeat, et immortalem laudem tuam aliarum etiam gentium eruditis enarret. Diu multumque dubitavi, compellaremne te litteris, an tacitus merita tua, ut feci adhuc, in posterum quoque venerarer. Sed vicit tandem pietas pudorem.

Equidem fateor, hoc litterarum commercium tibi apud Vitembergenses nulli esse honori; at erit voluptati, et, nisi me omnia fallunt, alicui etiam emolumento. Quod si inde dedecus ad te perventurum putes, dissimules, quaeso, amicitiam nostram quasi postliminio restitutam. Cupio enim et ipse,

nomen ut meum in istorum hominum animis exstinguatur. Iam scopulum illum, ad quem ne adhaeresceret meus pudor verebar, praetervectus, quid mihi ex eo tempore, quo a te discessi, obtigerit, ordine quidem, sed breviter referam. Vix in Bataviam, liberalem illam ingeniorum altricem, perveneram, cum ecce! celsi ingenii iuvenis, tuique imprimis studiosus, Gerardus Meermanus, mihi θεὸς ἐκ μηχανῆς appareret. Hic, postquam incredibile discendi studium, quo ardebam, animadvertisset, statim me studiis fratris sui minoris praefecit, ac, ne quid beneficiorum deesset, ita parentibus suis commendavit, ut eius pater, vir illustris, quoad vixit, mihi patris loco fuerit, et mater etiam nunc matris loco sit. Cum Meermano igitur iuniori tres fere annos in academia Leidensi suavissime traduxi, ita quidem, ut et illi viam in litteris praeirem, et magnam diei partem summorum virorum lectionibus, mihi ipse consulens, tribuerem In iure civili mihi dux et auctor obtigit Gerlacus Scheltinga, doctus et acutus ICtus, in quo facile Schultingii discipulum agnoscas; in historia et antiquitate Romana Franciscus Oudendorpius; in Graecis litteris, deliciis nunc meis, Ioannes Alberti, imprimisque δαιμόνιος ille Hemsterhusius. Hunc virum docentem audivisse et cognovisse familiarius, in maxima felicitatis meae parte pono. Hic enim mente supra humanam sortem evecta, et immensa reconditae eruditionis copia Leidensi academiae Scaligerum, Salmasium et quidquid alias praeclari habuit, solus reddit. Triennio prope hic transacto, lautissimis conditionibus propositis, me in contubernium suum adscivit vir praestantissimus, Iac. Philippus d'Orvillius, in quo adhuc, Musis meis laetantibus, vivo. Interim tamen, indulgente hoc Maecenate, fere singulis hebdomadibus Amstelodamo Leidam excurro, quo me non solum lux academiae, sed bibliotheca etiam publica, antiquis membranis mirum quantum referta, invitat. Ex hoc thesauro potiora Constantino Harmenopulo ornamenta deprompsi; cuius ego πρόχειρον νόμων cum plurimis mss. et basilicis horumque synopsi collatum in dies magis

ac magis perpolio, ut aliquando digni quid et tua, mi Rittere, et ceterorum doctorum disciplina edere possim. Multae mihi praeterea in mundo sunt in Graecos Latinosque auctores animadversiones; sed in nullum plures, quam in illa toties mihi a te commendata Cyrilli et Philoxeni glossaria, quibus ego partim ingenio, partim mss. glossariorum ope, amplius sexcentis locis feliciter medicinam feci.

Sed satis de vitae studiorumque meorum ratione. Nam omnia si persequi vellem, charta me deficeret. Tuis scriptis, mi Rittere, scias, nusquam terrarum dignius, quam hic, statui pretium. Ac licet Batavi nostri te iam antea summis laudibus tulerint, nuper tamen, edito ultimo cod. Theodos. volumine, insigne incrementum cepit fama tua. In quo opere cum alii alia mirantur, ego nihil tantopere miror, quam *εὐστοχίαν* illam criticam, qua locis depositis ac prope desperatis Novellarum Theodosii, Valentiniani etc. et lucem et medelam attulisti. Quantisne laudibus Observationum libri ornabuntur, quorum desiderium vix ferunt harum litterarum studiosi? Omnino sunt Batavi nostri acerrimi ingeniorum censores. Quo fit, ut ex immensa ista Germanorum eruditorum turba vix novem decemve aliquo numero ab iis habeantur. Horum in censum, cum tu, *χαριέστατε* Rittere, imprimis referaris, merito tibi de tanta felicitate gratulamur. Nullum hominum genus magis detestantur, quam impudentes istos compilatores, vel etiam eos, qui, etsi aliqua tradunt haud contemnenda, tamen, ut liber fiat, ipsis dupondiis nota inculcant. Dii boni! quoties illa Germaniae lumina (sic enim a suis celebrantur) et ego et homines amicissimi, Wesselingius, Alberti, Wetstenius, alii, ridemus. Cui risui utinam et tibi interesse liceret! Novimus enim, quantum tibi supra cives tuos sapias animoque divinitus excitato agites altiora. Cum igitur tu, vir egregie, (huc enim revertor) iam illustre nomen apud Belgas nostros consecutus sis, noli in posterum concedere, ut scripta tua limatissima Lipsiensibus typis foedentur. Et nomen tuum, et qualiscunque in hac regione auctoritas

mea cuivis, quod paras, operi excudendo eiusmodi tibi bibliopolam parabunt, qui et pro opera impensa liberaliter tibi satisfaciat, et opus ipsum splendidis typis exscribendum curet. Historia certe iuris ut nitidissime et accuratissime excudatur, non Verbeekii solum, sed et ego operam sumus daturi. Neque ipse iis diebus, quibus Leidae versor, emendationem defugiam. Gestit animus cum totum opus videre, tum illam imprimis partem, qua iuris Graeci historia explicatur, quam te multo accuratius tradere et posse et velle scio. Latent etiam in Adversariis meis, quibus Suaresii Notitia non mediocriter et suppleri et emendari possit.

Meministi fortasse, optime Rittere, me tibi adhuc Minerval debere. Hoc debito ut me exsolvam, constitui ad te mittere quosdam libros recens hic editos edendosve, qui ad artem nostram pertinere videantur. — — Quodsi forte unus et alter horum librorum tibi iam obtigerit, velim me certiorem facias, ut alius in eius locum substitui possit. — Atque hic scribendi finem facerem, nisi te scire vellem, quam me nunc puderet diss. de Galla Placidia Aug., non quod tuas tu partes minus bene egeris (omnia enim docte et luculenter exposuisti), sed quod ego praeclare a te inventa Bergeriano, i. e. declamatorum more ita calamistris inussi, ut eius, quod in historica narratione naturale esse debet, nec vola nec vestigium supersit. Quare, si quando illam una cum aliis edere constitueris, quod tuum est, tibi vindica, nomen meum dele, habitum orationis muta et tuo naturali nec affectato scribendi genere omnia exorna. — Nunc tandem desino; quamquam plura, quae tua scire refert, sunt praetermittenda. Vale igitur, virorum, quos novi, doctissime et integerrime, ac pientissimum nec indignum fortasse te discipulum, ut quondam amasti, ama.

Scribeb. Lugduni Batavorum ex aedibus fratrum Verbeekiorum d. 29. Iul. 1747.

XCIII.

Viro summo Io. Aug. Ernesto David Ruhnkenius S. P. D.

(Ibid. p. 651 sq.)

Magnum, mihi crede, dolorem capio ex rebus adversis, quibus Saxonia cum maxime conflictatur, et intimis saepe sensibus angor, vel de te cogitans, vel de Rittero nostro. Nec tibi unquam vitio verterim, si hoc tali tempore, non dicam Callimachi, sed mei etiam sit memoria a te abiecta. Sed cum nulla res aeque sollicita sit atque amor, facile tibi est ad existimandum, quanta cupiditate flagrem aliquid de te rebusque tuis audiendi. Cui desiderio meo si vel tribus verbis satisfeceris, maximo me a te beneficio affectum existimabo.

Obtigit enim tandem vitae meae studiisque portus maxime tranquillus et optatus. Namque mense proxime elapso illustrissimi academiae Leidensis Curatores, Hemsterhusii commendatione adducti, me publicum Graecarum litterarum praelectorem (Germani professorem extraordinarium dicunt) proposito satis luculento stipendio, crearunt. Cessit igitur mihi summus magister ob aetatem ingravescentem Graecae linguae docendae provinciam; historiae enarrationem sibi servavit.

Spanhemianum Commentarium operae prope totum exscripsere. Ultimam, quam vocant, revisionem legens, infinitos errores sustuli, a superioribus operis, Spanhemii manum minus assecutis, temere invectos. Vel sic tamen restant aliquot loci, ex quibus nullum idoneum sensum elicias. Integrae cnim periodi loco suo turbatae videntur.

Heusingerus, cuius amicitiam litteris humanissime scriptis ambieram, cui tu etiam me de meliori nota commendaras, nihildum mihi respondere dignatus est. Cupio scire, quid

de eo tam male meritus sim, ut ne tralaticio quidem honore me dignum putet. Amico utitur Fischero, ex quo tibi facile erit silentii caussam indagare.

Plura scribam, si litteras tuas accepero. Interim vale, vir eximie animoque meo carissime, et Bachium nostrum meo nomine saluta. Dab. Lugduni Batavorum d. 8. Mart. 1757.

XCIV.

Carissimo Rittero suo D. Ruhnkenius S. D.

(Ibid. p. 583 sqq.)

Ex litteris Ernesti nostri satis, ut opinor, intellexisti, me omnem lapidem ab aliquo tempore movisse, ut te ex misera nunc Saxonia in beatiorem Bataviam transferrem. Quos conatus meos cum fortuna semel atque iterum destituerit, nunc incredibilem in modum gaudeo, exoptatissimam huius rei consequendae opportunitatem mihi ostendi. Andreas Weissius, praeclarus iuris naturalis et publici doctor, qui hanc academiam per quindecim annos ingenio et doctrina sua illustravit, superiore anno ab Ordinibus Hagam Comitum evocatus est, ut Principem Arausionensem bonis artibus erudiat. Huic successor quaeritur ab illustrissimis Curatoribus. Aliis alios commendantibus, ego usus adiutoribus Hemsterhusio, Gaubio et Alberto, excellenti virtute ac doctrina tua commemoranda rem eo perduxi, ut maxima spes sit, te ab illustrissimis Curatoribus, postquam voluntatem tuam intellexerint, huc vocatum iri. Muneris conditionibus nihil luculentius. Stipendium quidem huic professioni adsignatum tantum est duo mille florenorum Hollandicorum. Sed beneficia et emolumenta adeo superant stipendium, ut annui reditus quinque mille florenorum vel mille ducatorum aureorum summam conficiant. Impensae in migrationem faciendae a Curatoribus restituuntur. Quod a te exigitur, sane levissimum est. Duae perpetuae lectiones habendae sunt, altera in divinum Grotii opus de I. B.

ac P., altera in ius publicum Germaniae. Grotianum collegium ita a iuventute Belgica et Britannica celebratur, ut inde tibi quotannis mille floreni redeant. Alias disciplinas tradere tibi non licet. Habes conditiones muneris; quibus pensitatis, quid consilii ceperis, quantocius ad me perscribe. Quamquam, si me audias, omni omissa deliberatione, statim ad nos evolabis. O! quam laetus ille mihi dies illucescet, quo te, carissimum caput, hic amplecti potero. Profecto etsi Batavia mihi semper iucundissima fuit, tamen multo est iucundior futura, si antiquam nostram consuetudinem hic instaurare, si tecum una vivere, tecum seria et iocos miscere licuerit. Nec religionis negotium tibi ullum scrupulum iniicere debet. Quamvis enim in togato ordine solus, cui Lutherana formula probetur, futurus sis, omnes tamen collegae te tanquam fratrem amabunt et in oculis ferent. Reformati Belgae mitissimi sunt erga Lutheranos, eosque vix ullo discrimine a se differre credunt. Equidem matre natus Lutherana, at patre reformato, ex quo in Belgium veni, patris monitis adductus paternum exemplum secutus sum. Verum etiamsi matris partes praetulissem, nihil tamen illa res hic obstitisset rationibus meis. De aliis rebus scribam alias. Sed hoc tibi fidenter spondere ausim, te nusquam terrarum tantum antiquae probitatis, fidei, veritatis, quantum hic, reperturum. Quo quid magis consentaneum esse potest moribus tuis simplicibus, rectis, omni fuco carentibus? Binas ad me epistolas scribas velim, quarum altera mecum familiariter agat, altera tuam de migratione et muneris mutatione sententiam brevibus verbis expressam contineat, quae, si opus sit, etiam Curatoribus ostendi possit. Sed responsi celeritate opus est, ne alii consilium nostrum prensando impediant. Ubi, quid tibi animi sit, intellexerimus, cetera, quae apud proceres peragenda sunt, promptissime expedientur. Vale, mi optime Rittere. Si ad Ernestum scripseris, eum meo nomine salutes et de mittenda Callimachi praefatione admoneas. Dabam Lugduni Batavorum d. 8. Decembr. 1760.

XCV.

Io. Dan. Rittero, amico singulari, David Ruhnkenius S. P. D.

(Ibid. p. 585 sqq.)

Ita tibi, quae optas, velim eveniant, ut mihi, quaecunque tua caussa suscepi, hactenus ex voto evenerunt. Reiecti sunt competitores, quorum unus, magni cuiusdam principis commendatione fretus, hanc professionem iam spe devoraverat. Omnium Curatorum suffragia in te designando conveniunt. Vix tamen sollemnis vocatio ad te mittetur ante primum diem Februarii. Nam nihil fere maioris momenti a Curatoribus agitur, nisi statis conventibus, quorum proximus incidit in diem, quem dixi. Muneris conditiones tibi placere, impense gaudeo; teque adeo nostrum esse, ita laetor, ut, quibus verbis hanc laetitiam exprimam, non inveniam. De emolumentis et immunitatibus quia tibi dubitationem exortam video, age paullisper ad calculos sedeamus. Ordinarium stipendium est 2000 florenorum; honorarium, quod ex lectionibus redit privatis, (publicae non habentur) quovis studioso pro quolibet collegio solvente triginta florenos, est 1300 florenorum. Honorarium saepe variat pro numero discipulorum. Reliqui articuli sunt multo certiores. Ex Doctorum promotionibus, quae hic singulis fere hebdomadibus celebrantur, tibi redeunt 1400 floreni. Immunitas ab omnibus vectigalibus tibi ad minimum valet 300 florenos. Quae omnia simul sumpta conficiunt summam quinque mille florenorum. Leviora emolumenta, licet satis multa et minime contemnenda, praetereo. Hunc autem calculum recte se habere, ipse Weissius mihi boni viri fide confirmavit. Iam ad singulos articulos tuos, quam possum brevissime, respondebo.

I. Omnia Latina lingua traduntur, in privatissimis tamen collegiis aliquando Gallica. Sic Weissius Duci Richemontio ius gentium Gallice praeivit. Verum etiam atque etiam

a te peto, ut, posthabitis omnibus, aliquid temporis tribuas linguae Gallicae commodius pronuntiandae. Huius enim alterius linguae commercio utare cum Anglis, Gallis et plerisque Helvetiis, qui, ut Latine intelligant, tamen ne verbum quidem proferre possunt. Praeterea omnes illustrioris loci viri feminaeque apud nos libentius Gallico quam Belgico sermone utuntur; Teutonicam linguam plerique professores propter frequentem cum Germanis usum intelligunt, procerum non adeo multi. Nullae hic conciones Teutonica lingua habentur.

II. Ius publicum Germaniae (ad Mascovii ductum) tum demum praelegitur, quando nobilium Germanorum frequentia est. Aliis explicatur Ottonis Notitia rerum publicarum tanquam Belgis utilior.

III. Ad commune aerarium ne teruncius quidem a te confertur. Nam, ut modo dixi, academia summam immunitatem habet. Vinum aliis civibus carissimo, tibi vilissimo pretio bibitur.

IV. Aedes vulgo a professoribus 500 florenis conducuntur; ancillarum opera 60 aut 70 floren. At quando illis emolumentum a studiosis accedit (ut tuis ancillis accedet) conducuntur 40 aut 50 florenis.

V. Etsi plures pingendi, cantandi et saltandi artifices Leidae reperies, quam Vitembergae, tamen pro viginti lectionibus solvendi sunt octo vel novem floreni.

VI. Professores utuntur simplici vestitu, atro maxime. Universim quo quis illustrior est in hac re publica et maiore auctoritate pollet, eo simplicior eius cultus est. At famuli fulgent auro et argento; aedes magnifice instructae, conviviorum apparatus prope regius.

VII. Professorum uxores fere sunt modestae et domisedae. Si qua tamen malit in celebritate versari, spectacula frequentare etc., frui potest ingenio suo. Cultus harum matronarum non est splendidus, sed mundissimus. Nosti fortasse, omnes Batavas feminas munditiem ad insaniam usque amare.

VIII. Filiarum gubernatrice, hic ducentis florenis conduci solita, tibi non opus est propter frequentiam scholarum Gallicarum, in quibus nobiliores virgines cunctis artibus, quae ad vitae elegantiam pertinent, erudiuntur.

IX. Auctor tibi sum, ut aedes tuas loces potius hoc tempore, quam vendas. Pacis tempus exspectandum est, quando melius per procuratorem vendentur. Nec quidquam vendere debes vel bibliothecae tuae vel pretiosioris suppellectilis. Nam haec omnia commodissime Hamburgum, inde Amstelodamum et hinc Leidam per navigia transportari possunt. Haud intelligo, cur de vectura sollicitus sis, quam tibi scripsi Curatores liberalissime et ultra id, quod petis, esse restituturos.

X. Aedes semper Leidae absque suppellectile locantur. Sed licet suppellectilem separatim conducere. Stragulas, pulvinaria, specula, etc. tecum transportabis. Stannum propter nimium pondus Vitembergae vendendum, praesertim cum parvo cum dispendio novum paretur. Vasa mensalia hic fere stannea sunt, rarissime porcellanea.

Dabitur tibi titulus professoris iuris publici et privati, non ut privatim ius doceas (quod ego sane vellem) sed ut iuris privati candidatos examinare possis. Ad libros scribendos plus tibi otii futurum est, quam votis fingere audeas; nam septem tantum menses cum dimidio academicis lectionibus tribuuntur; reliquum tempus vacationibus. Maiores, quas vocant, vacationes incipiunt sub finem Iunii et finiuntur die 17. Septembris; quo tempore poteris in vicinam Galliam vel Angliam excurrere vel revisere Saxones tuos. — Vale, decus nostrum et amor. Dabam Lugduni Batavorum d. 12. Ianuar, 1761.

His scriptis, amicissimus et tui etiam studiosissimus Weissius ad me venit, narrans, se Hagae Comitum ex duobus Curatoribus audivisse, vocationem tuam non ad primum Februarii esse extrahendam, sed extraordinario conventu propediem expediendam. Qua quidem re nihil nobis optatius contingere posset.

XCVI.

Mi suavissime Rittere!

(Ibid. p. 589.)

Quid tandem caussae est, quare nihil binis litteris ad te datis respondeas? Multa animum meum subeunt, eumque sollicitum habent. Nam modo pertinax hoc silentium tuum adversae valetudini tribuo, modo litteras tuas in his bellicis turbis intercidisse suspicor. Nolim enim existimare, quod multi iam hic faciunt, te, abiecto migrationis consilio, in Saxonia manere malle. Heri mihi redditae sunt litterae Cl. Ernesti, quibus communis ille amicus noster deplorat mala tibi Vitembergae toleranda; at de tua in Leidensem academiam vocatione ne γρὺ quidem cognosse videtur; id quod vehementer miratus sum. Quaeso te atque obtestor, quam potest fieri citissime, hunc mihi scrupulum eripias. Plura scribere nunc non vacat. At simulatque responsum tuum accepero, verbosam a me epistolam habebis. Vale, mi optime Rittere, et ama tuum Ruhnkenium. Lugduni Batavorum d. 20. Februar. 1761.

XCVII.

Amicissimo viro, Io. Dan. Rittero David Ruhnkenius S. P. D.

(Ibid. p. 590 sq.)

Longissimae caussam morae, de qua quereris, tibi ipse imputare debes. Nam si fidem meam, ut scribis, secutus es, cur non statim vel verbo declarasti, gratam tibi accidisse illustrissimorum Curatorum electionem, aut cur non aedium conducendarum (quae res summam celeritatem desiderabat) mihi copiam fecisti? Interea cum amplissimus van Royen paullo serius Leidam rediret, tuque nihil ad me litterarum

dares, hoc silentium tuum nonnullis ex Curatoribus suspectum esse coepit. Quid quaeris? Decreverunt Curatores, ut publicae vocationis tabulae ad te ante ne mitterentur, quam Secretarius ex tuis litteris ad me scriptis perspexisset, te in consilio, quod prioribus litteris significasses, perstare. Sic res silentio tuo ad hoc usque tempus extracta est. Publicarum tabularum duplex exemplum scribendum putavimus, ut, si alterum per cursorem, quem vocant, publicum ad te missum, forte in via periret, alterum certe, quod ad legatum Batavum Verelstium Berolinum missum est, ad te perveniret. Acceptis tabulis, non ad ipsos Curatores, sed ad amplissimum van Royen breves tibi litterae exarandae sunt, quibus gratum animum et obsequium Curatoribus debitum testeris. Cum nullus his diebus Curatorum conventus habitus fuerit, nec de auro tibi mittendo ad illos referri potuit. Sed, si ipse Lipsiam proficiscaris, aurum mutuum sumere poteris ab Amstelodamensibus mercatoribus, ad mercatum Lipsiensem profectis (Florus Crol und Compagnie, Rauchhändelars), quos ea de re certiores fecimus. Interea cogitationem suscipias orationis statim post adventum tuum publice habendae. Quodsi me audiendum putes, tibi auctor sum, ut ex iure gentium potius, quam ex iure Germanico materiam deligas, quae popularitate suavitateque sua omnium auditorum animos teneat. Vix credas, politici nostri quantopere contemnant totum illud ius publicum Germaniae, rempublicam Polonicam vocantes Germaniam, cuius leges cum vindice careant, vanae ac ridiculae sint censendae; nec leges imperii tantum a potentioribus principibus, ut nunc a Borusso, sed ab ipso etiam imperatore, qui illarum vindex esse debebat, quotidie conculcari. Multum tua interest, te, ruptis omnibus moris, statim ad nos commigrare. Nam honorarium ex eo demum die, quo orationem solemniter habuisti, solvi incipit. De aedibus conducendis aliisve rebus proximis litteris ad me copiose scribes. Vale, mi optime Rittere. Dab. Leidae d. 16. Mart. 1761.

XCVIII.

Viro amicissimo, Io. Dan. Rittero
David Ruhnkenius S. P. D.

(Ibid. p. 597 sq.)

Mensem et amplius litteras tuas de die in diem avidissime exspecto, nec quae tam diuturni silentii caussa sit, ulla assequi coniectura possum. Nullus facile dies praeterit, quo non vel Curatores vel collegae ex me quaerant, quando ad nos venturus sis. Quibus cum nihil, quod respondeam, habeo, rursus variis suspicionibus locus datur. Me quidem sollicitum non esse sinit animi tui magnitudo et integritas, tot aliis rebus cognita et spectata. Non ii sunt mores tui, ut fidem, quam splendidissimis viris sancte et sollemniter dedisti, quocunque praetextu fallere possis. Sed forte te adhuc ludificantur Dresdenses, forte aulici Varsovienses litteras tuas supplices contemptim abiecere, altero anno, si commodum fuerit, illas inspecturi. Quin tu exire propera ex illis terris, ubi potentes nebulones liberum hominem, tanquam vile mancipium, risum iocumque faciunt. Quod si tibi rex ipse missionem negat, quid est, quare nos hac de re non certiores reddas. Nam quod tibi impetrare difficile est, facile Hollandiae Ordines per legatos suos impetrabunt. Dixit mihi Batavi nominis princeps, Comes Bentinkius, se eos in aula regis vestri amicos habère, facile ut quidvis ab iis impetrare possit. Aget etiam caussam tuam Lauterbachius, legatus Saxonicus; aget Comes Bruhlius iunior, qui hic est. Vides, quam dispar sit ratio nostra et tua. Nos de te quotidie laboramus. Tu nullius rei nobis notitiam impertis, et vero me etiam, quo meliorem amicum ne fingere quidem potes, litterarum tuarum suavitate privas. Fac igitur, quam primum ad nos de omnibus rebus quam accuratissime scribas. Vale, mi suavissime Rittere. Dab. Lugduni Batavorum d. 26. Iunii 1761.

XCIX.

Io. Dan. Rittero, amico suavissimo, David Ruhnkenius S. P. D.

(Ibid. p. 598. sq.)

Incredibilem in modum gaudeo, te tandem missionem impetrasse. Rumpe igitur moras, et quam primum advola in amplexus nostros. Vellem hic potius esses medio mensis Augusti, quam circa finem. Nam initio Septembris iam habenda est oratio; quae ut ingenti, quam concitasti, ingenii et doctrinae famae respondeat, operam dabis. Solet hic ex orationibus augurium capi successus futuri. Sequenti hebdomade ad te mittam litteras publica fide munitas, quae tibi, uxori et filiabus securitatem praestent. Sed alteras, quas duo Comites tui secum ferant, mittere non possum propterea, quod nomina iuvenum in litteris exprimenda addere neglexisti. Nec, si quid video, talibus litteris opus habent. Nam qui Albi devehuntur Hamburgum, cum nullis occurrant Gallis aut Hanoveranis, satis muniti erunt litteris legati Verelstii. Ancilla, quae aedes praeparet et servet, conducetur. Iuvenes, cum hic venerint, me quaerent, ut illos in aedes deducam. Vinum etiam curabitur. Sellas pulchriores tecum feras; viliores facile parabuntur. Proximum iter tibi erit per Brunsvigam et Osnabrugam usque ad Amstelodamum; quo tibi obviam irem, si adventus tui dies mihi cognitus esset. Sed hunc definire ne ipse quidem poteris. Haec scripsi eodem die, quo litteras tuas accepi. Ernestum nostrum meo nomine saluta, et ex eo quaere, an ipsi redditae sint Collationes Orphicae cum Gesnero communicandae. Vale, mi optime Rittere. Dab. Leidae d. 21. Iulii 1761.

C.

Carissimo Rittero suo David Ruhnkenius S. P. D.

(Ibid. p. 599. sqq.)

Magnas animo meo molestias litteras tuae abstersere. Nam, ut verum dicam, illud tam diuturnum silentium et mihi et Curatoribus suspectum esse incipiebat; id quod etiam testatus sum litteris ad Ernestum scriptis. Itaque nunc tanto magis gaudeo, te magno et constanti animo in consilio, quod semel suscepisti, perstare. Quid vero dicam de istis aulae mancipiis? Qui etsi belli calamitate ad satis humilem conditionem detrusi sunt, tamen non cessant tyrannica imperia in te exercere. O mi Rittere! quantocius ab his fugias et nobiscum auream Batavorum libertatem gustes. Nos hic omnes reges sumus, in quos nemo mortalium imperium habet. Legibus tantum aequissimis paremus. Quo tempore litterae tuae mihi redditae sunt, ad Allamandum, collegam meum, etiam Varsovia pervenere litterae Vatelli. Is de missione tua cum Bruhlio ipso agens responsum tulit, te novo regis beneficio esse auctum et migrandi consilium iam abiecisse. Quod miranti Vatello alii etiam aulici confirmarunt. Ego vero hoc quam falsum et mendacii plenum sit, Curatoribus ex litteris tuis demonstravi. Heri Comes Bentinkius, Curatorum princeps, hac ipsa de re litteras ad Bruhlium dedit. Quodsi hoc tempore legatum Varsoviae haberemus, is Ordinum Hollandiae iussu negotium facile expediret. Neque enim, ut tu putas, Hollandiae Ordines privatorum res negligunt, sed non temere faciunt suas. Argentum, quod rex tibi debet, non sibi deberi dicent, sed tamen regem amice per legatos monebunt de residuo stipendio solvendo. Equidem, si diutius missio negetur, tibi auctor sum, ut aufugias, aedesque procuratori vendendas relinquas. Iurisiurandi quidem religione te absentem solvent Vitembergenses; regis-

que animus, si forte fuga offensus fuerit, a proceribus rei publicae nostrae lenietur. Paratus est tibi apud nos portus maxime tranquillus, in quem confugias tot adversae fortunae fluctibus iactatus. Si qua rei familiaris iactura facienda est, id pro nihilo ducas. Nam cum maxima tui per omnem Bataviam sit exspectatio, huc delatus brevissimo tempore colliges ingentem vim pecuniae. A Curatoribus vero maiora etiam, quam polliciti sunt, suo tempore exspectare debes. Illi omnes tibi unice favent, sed dolent et tua et academiae causa, negotium ita tardari. Profecto magnum academiae nostrae detrimentum absentia tua affert, propterea quod nemo hic est, qui ius publicum docere possit. Plura scribere, tempore exclusus, non possum. A te vero peto, ut in posterum minus negligens sis in litteris scribendis. Nam quotidie proceres ex me quaerunt, quo in loco sint res tuae. Vale, mi optime Rittere, et iter tuum matura. Dab. d. 9. Septembr. 1761.

Ancillam tibi nuper couduxi, nondum facturus, si illam moram praevidere potuissem. Emi etiam sellas quasdam viliores aliaque ad aedes verrendas et nitidandas pertinentia.

CI.

(Ibid. p. 609 sqq.)

O mi Rittere! quid in te commeruerunt Curatores Leidenses, summo splendore et singulari integritate viri, ut eos aperte fallas et ludibrio habeas? quid ego, ut mecum, cuius candorem novit Deus, parum candide agas? Accepi litteras tuas die 3. Decembr. scriptas, quibus alium colorem inducere conaris iis, quae hic litterae Varsovienses vulgarunt. Sed illa veriora esse, quam quae ex Apollinis tripode dicuntur, nos docuit ipse praeses Globigius. Adieci epistolam, quam, quanto ego cum stupore legi, tanto tu leges cum conscientiae aestu. Patefacta tandem sunt omnia consilia. Tu ipse, cum missione impetrata abire potuisses, mutato consilio Vitembergae restitisti, ut iuridicam pro-

fessionem ambires. Hinc omnes, quae consecutae sunt, turbae. Bone Deus! in quam perniciem ruis uxoris blanditiis occaecatus. Vere divinavit iam dudum Ernestus noster, uxoris consilium te perditurum. Vides nunc, illos ipsos aulicos, quos tu patronos tuos credis, te apud nos prodere et detestari agendi rationem, qua adversus Curatores uteris. Quid Curatores, talibus litteris lectis, iudicent, facile est tibi ad existimandum. Scripsi tibi ante hos quindecim dies, illos terminum non prorogaturos. Quod multo aegrius facient post illas litteras Dresdenses, quarum hic exemplum habes. Res igitur prope perdita et conclamata est, nec restitui potest, nisi his modis, ut vel ipse statim solus huc advoles, uxore et liberis in Saxonia ad tempus relictis (ut nuper tibi scripsi) vel quam ocissime litteras supplices ad Curatores mittas, quibus denuo fidem tuam adstringas cum capitis devotione, si fallas, et Numinis immortalis obtestatione, sanctissimeque promittas, te brevi hic futurum, spretis et contemptis regis, Bruhlii, Dresdensium minis vel interdictis, addas denique, te ipsa praesentia tua ostensurum, omnia, quae de te vulgata sunt, calumniarum loco esse habenda. Nam si Curatores te hic viderint, facile ea, quae minus ingenue acta sunt, oblivioni tradent. Interea ego Curatorum praesidem, Comitem a Bentink, et illustriss. de Witt supplex orabo, ut tibi terminum paullo longiorem concedant. Fac igitur, litterae tuae quam citissime ad Curatores perferantur. Magna cum voluptate ex ultimis litteris intellexi, te ardere cupiditate ad nos migrandi. Utinam Deus hunc ardorem perpetuum esse iubeat. Verum ego etiam atque etiam vereor, ne, si interea Crelliana professio tibi offeratur, tu rursus nos ludas et Vitembergae maneas. Quod si tibi facere animus est, melius erit, nihil ad Curatores scribere et totum negotium pro deperdito habere. Nam etsi mirus simulandi artifex Bruhlius scribit, te bona cum venia sua abire posse, fieri tamen potest, ut aliter agat, quam scribit, tibique illam professionem deferendam curet. O te mortalium miserrimum! si hac offa obiecta dimittas lautissimam

Leidensem conditionem. Equidem meliora ominor. Sed si forte migrandi ad nos consilium abiicias, quam primum me certiorem redde, ut aedes tibi conductas alii cedere possim, ne hinc tibi etiam maius, quam adhuc factum est, detrimentum nascatur. Ancillam iam ante duos menses dimisi. Facile enim, si veneris, aliam inveniam. Hic finem facio scribendi te obsecrans et obtestans per tuam et tuorum salutem, per amicitiam nostram sanctissime cultam, per quidquid denique tibi carum est, ut, ruptis omnibus impedimentis, huc quantocius confugias in tranquillum verae felicitatis portum. Vale, mi carissime Rittere, et ama tuum Ruhnkenium. Dab. Leidae d. 18. Decembr. 1761.

Viduae professorum hic etiam immunitate cum liberis gaudent. Hoc addo non per iocum, sed serio. Si filiae tuae pulchritudine excellant, hic illis paratae sunt conditiones luculentissimae. Nam multi omni tempore in Batavia iuvenes sunt regalibus divitiis abundantes, qui pulchras uxores in matrimonium quaerunt, nulla vel dotis vel religionis ratione habita.

CII.

Viro nobilissimo, Francisco Fagel, praepotentium ordinum Belgii foederati Graphiario, S. P. D. David Ruhnkenius.

(Dedicatio Rutilii Lupi de figur. sententiar. et elocutionis, editi Lugd. Bat. 1768. 8. Ruhnk. Oratt. etc. ed. Friedemann p. 282 sqq.)

Saepenumero in illius temporis iucundam sane memoriam redeo, quo tibi sive comes sive dux eram ad Graecas litteras cognoscendas. Veneras ad nos supra aetatem Latine doctus, Latinorum imprimis poëtarum flagrantiore studio, quam quod expleri et satiari legendo posset. Verum cum patri tuo, cuius sapientiam in maximis reipublicae caussis spectatam tanta exornat ingenuarum artium scientia, quantam

vix credibile sit in vita tam occupata comparari potuisse; cum igitur patri tuo credidisses, vim et venustatem Virgilii non nisi cognito Homero, Ciceronis non nisi Demosthene penitus percipi posse, nihil antiquius habuisti, quam ut Graecas litteras coniungeres cum Latinis. Itaque una legebamus ingeniorum principem, Homerum, eique, ut Atticam etiam elegantiam et suavitatem gustaremus, Xenophontem adiungebamus. Qua lectione confirmati non dubitabamus ad grandem et Homero in dispari genere similem poëtam, Sophoclem, et dulcem subtilemque de scena philosophum, Euripidem accedere. Tum vero, qualis in te materia et indoles esset, intelligere coepi. Nihil dicam de docilitate, qua intra biennium consecutus es hoc, ut, qua facilitate Cornelium et Racinium, eadem Sophoclem et Euripidem legeres. Maiorem admirationem mihi movebat vis iudicandi, quae in locis dubiis et obscuris cernebatur, imprimisque acerrimus pulchri et veri sensus, quo saepe magistrum praecurrens, ante latentes veneres deprehendebas, quam ipse earum demonstrandarum locum habuissem. Ex his et aliis, quae prodebas, excelsae indolis argumentis iam tum augurabar, talem te, qualis nunc es, futurum, et saepe alios loci tui iuvenes monebam, in te intuerentur, de te sibi exemplum sumerent, qui, quamvis natalium splendore, fortunae opibus, maiorum meritis facile ad amplissimos honores adspirare posses, tamen in optimarum artium studiis ita versarere, ut nihil tibi praesidii in illis relictum esse, omnem ornamentorum spem in ingenii cultu et virtute sitam existimares. Decursis deinde pari cum laude graviorum disciplinarum spatiis, iter per cultiores Europae partes instituisti. Hic prima, sicut debuit, tibi cura fuit, ut regum principumque artes in continendis civitatibus cognosceres, et ex variorum populorum moribus, legibus, institutis caperes, quod aliquando ad utilitatem patriae transferres. Nec tamen frequentior eras in aulis quam in bibliothecis, aut magis purpuratos quam doctrina et ingenio claros appetebas. Imprimis autem proprio quodam studio rapiebaris ad priscarum artium

miracula, quibus Italia referta est, contemplanda, quae maiorem, quam vulgus credat, cum humanioribus litteris cognationem habere, minime omnium ignorabas. Et eras intelligentissimus talium operum iudex, qui oculos exercitatos domo attulisses. Hoc iter praeclari operis tanquam perpolitio fuit. Reverso tibi in patriam praemia, quanta virtuti et doctrinae tribui possunt maxima, tributa sunt, et tributa maturius, quam cuiquam tali aetate contigisse aut meminimus, aut in patriis annalibus legimus. Non enim adscendisti ut ceteri, sed evolasti ad summos in republica honores, ut, adolescens cum sis, mirere, te annis tantum patri cedere, non amplitudine et dignitate. Ita consecutus omnia, quibus felicitas humana censetur, in maxime raro hominum genere merito numeraris. His vero ornamentis tuis quantopere Musae gaudeant et triumphent, per occasionem Rutilii Lupi in lucem revocandi, me interprete, tibi, vir nobilissime idemque eruditissime, declarari voluerunt. Et quidni sensus animi proferant in tam iustis laetandi caussis? Etenim, quae suis te manibus finxerunt, tecum habitarunt, tecum peregrinatae sunt, nunc in idem fastigium tecum escenderunt. Antea sibi timebant a barbarie et superstitione; nunc, tuo praesidio fretae, quos hostes fugiebant, fugant. Antea saepe nobilium hominum dictis vellicabantur; nunc ad nominis tui mentionem scurrilis dicacitas obmutescit. Quod si etiam optantibus sibi sic ceciderit, ut, quam sui tutelam nunc privato consilio sustines, eam aliquando publica auctoritate sustineas, nihil sibi ad summam felicitatem deesse iudicabunt. Haec tibi Musarum nomine significanda fuerunt. Vale. Scribebam Leidae a. d. XX. Iuni MDCCLXVIII.

CIII.

Viro praestantissimo Fr. A. Wolfio David Ruhnkenius S. D.

(Ibid. p. 739 sq.)

Quanti summum ingenium tuum et parem ingenio doctrinam faciam, testem habeo Spaldingium nostrum, quicum, dum Leidae versabatur, tam frequens mihi de te sermo erat, ut facile intelligeret, me nullo in nomine libentius acquiescere. Postea quoque, non ignorans, quam parce et tenuiter professores Halenses habeantur, de te in Bataviam traducendo cogitavi; quod consilium ne nunc quidem rebus turbatis muto, si id tibi non displicuisse intellexero. Quae cum ita sint, quaeres, cur tribus, ut scribis, epistolis tuis et donis adeo provocatus, ne semel quidem responderim. Ad haec accipe. Epistolae istae una cum libris interciderunt; unus antehac ad me pervenit Demosthenes tuus cum litteris humanissimis. Sed is eo mihi tempore reddebatur, quo articulari morbo sive chiragra laborabam; quod morbi genus mihi, quamvis animo et corpore vigenti, saepe molestum est, et studia mea, praesertim in quibus dextrae celeritate opus est, vehementer retardat. Cum igitur ipse litteras pingere non possem, mandavi discipulorum meorum optimo, Wyttenbachio, ut tibi gratias meis verbis ageret, et, quantopere mihi Demosthenes tuus placuisset, significaret. Qui si id facere neglexit, defuit officio. Iam quid animi mihi fuisse censes ad conspectum Homeri tui cum tam honorifica nominis mei inscriptione? Profecto miratus sum indulgentiam et humanitatem tuam, qui ne sic quidem, quod iure facere potueras, mei amorem abiecisses, cuius constantiae ne te paeniteat, omni studiorum et officiorum genere, quantum in me erit, curabo. Prolegomena tua semel iterumque perlegi, captus tum exquisitae doctrinae copia, tum criseos historicae subtilitate. De disputatione autem

adversus antiquitatem artis scriptoriae, accidit mihi fere, quod illi Platonis Phaedonem legenti: dum lego librum, assentior; cum posui librum, prope omnis assensio illa elabitur. Sed hac de quaestione alias.

Academicam dissertationem, cuius mentionem facis, tuam de Antimacho nondum vidi. Quam si quando retractatam libelli forma proferre velis, relegam tua gratia grammaticos meos ineditos, ut inde tibi fragmenta quaedam excerpam.

Platonis scholiastes vereor ne exspectationem tuam fallat. Non affert ille eruditionem eam, quam Aristophanis aut Apollonii Rhodii, sed quam Pindari aut Nicandri.

In posterum si quid librorum ad me mittere voles, nemini rectius eos commiseris quam Weidmanno, librario Lipsiensi; alia via missi pereunt, ut nuper Demosthenes Spaldingii; id quod ei quaeso significes.

Vale, vir eximie et mihi amorem tuum conserva. Leidae d. 3. Aug. 1795.

B.

COMMENTATIONES.

CIV.

(Praefatio editionis Mureti operum T. IV. Ruhnk. Or. etc. ed. Friedem. p. 487 sqq.)

Cum post depulsam saeculo XV. barbariam una cum bonis litteris vera eloquentia revocari coepisset, quicunque bene dicendi scribendique laudem appeterent, de Livii praecepto, quod Quinctilianus X. 1. p. 493. ex eius epistola ad filium scripta commemorat: *Legendi Demosthenes atque Cicero; tum ita, ut quisque est Demostheni et Ciceroni simillimus*, unius Ciceronis imitandi studio et inter se contentione exarserunt. Tum altero, ut ita dicam, Latinitatis aureae saeculo in Italia exorti sunt, qui primum honesto, mox ob servilem quorundam imitationem invidioso nomine *Ciceroniani* voca-

rentur, Bembus, Sadoletus, Pogianus, Maioragius, Manutius, Palearius, Sigonius, alii, quorum hic locus non capit recensionem. Sed horum omnium luminibus dici vix potest, quantum offecerit M. Antonius Muretus, ea felicitate Tullianam exprimens eloquentiam, ut, nisi res, quas tractat, recentiorem scriptorem proderent, ipsum Ciceronem a te legi putares. Cuius facultatis praestantia non ab una doctrina aut a singulari quodam imitandi artificio, quod ceteros fefellerit, sed ab aliis caussis repetenda videtur. Plinius Caecilianus, ut hoc utar, et doctrina abundavit, et lingua Latina adhuc satis integra scripsit, et, ut ipse fatetur, nihil aliud quam Ciceronem imitando effinxit. Nec tamen ulla vel in Epistolis vel in Panegyrico periodus, quam Cicero pro sua vellet agnoscere, reperitur. Aliud exemplum aetas suppeditat recentior. Paulus Manutius nec eruditione, nec Latinitatis scientia Mureto cedebat, Ciceronis imitandi studio fortasse vincebat, quippe tota vita id unum egit aut optavit, ut Ciceroni quam simillimus videretur. Sed is quoque magis secutus Ciceronem quam assecutus est, et in hoc imitationis genere iacet cum Mureto comparatus. Quid ita? Nempe Mureto naturae beneficio idem, quod Ciceroni, obtigerat ingenium, Plinio et Manutio diversa ingenii forma. Ab hac indolis similitudine fluxit illa Mureti in qualibet re exprimenda felicitas, venustas in narrando, lepos in iocando, aurium denique sensus in oratione numerose struenda. Compar natura Muretum sponte in Ciceronis vestigia deducebat, at dispar Manutium invitum et reluctantem alio trahebat; ut non sit mirandum, nos Muretinis libris semel in manus sumptis ita teneri, ut eos vix deponamus, Manutianis autem, quamvis terse et polite scriptis, quod anxium imitandi studium produnt, cito satiari. Quo minus dubitamus Muretum cum ingenio, tum arte scribendi vere Ciceronianum dicere, quamvis ipse, nominis invidiam veritus, sic se appellari noluerit. Quin etiam Var. Lect. XV. 1., ut aetatis suae Ciceronianos ureret, profitetur, se interdum ab Appuleio, Cassiodoro, Sidonio Apollinari et

similibus, verba loquendique genera sumere. Quae professio non vera, sed simulata videtur Caspari Scioppio de Stil. Hist. p. 64. 75., ut sic Muretus latebram paratam haberet, si quid sibi, cuius nullum idoneum auctorem laudare posset, excidisset. Scioppio se non sine stomacho quodam opposuit Iacobus Thomasius Praef. ad Oration. p. 8. Sed Scioppianam rationem frustra oppugnari, hoc argumento intelligitur. Nimirum, si verum est, quod Muretus ait, se ne labentis quidem Latinitatis voces et locutiones refugere, eas necesse est in eius libris reperiri. Atqui tantum abest, ut quicquam ab istius aetatis scriptoribus mutuatus sit, ut ne a Seneca quidem, haud paullo meliore scriptore, quo mire eum delectatum fuisse scimus, multum traxisse videatur. Sed age, Mureto callide loquenti, ut tempori serviret, opponamus Muretum sincere et ex animo loquentem, Praef. ad Terênt. T. II. p. 653. *Alterum vitium est, quo Transalpini multi (fatendum enim est) laboramus, quod, cum in Latini sermonis elegantia excellere pulchrum putemus, non tamen fere callemus, quo ad eam itinere contendere oporteat; itaque de nostris pauciores hactenus, quam vellem, exstiterunt, qui se ad Ciceronis, Terentii, Caesaris imitationem componerent. Pervolutabant sine ullo discrimine omnes omnium scriptorum libros, et ex omnium commistione varium quoddam et multiforme pro suo quisque ingenio dicendi genus effingebant.* Et paucis interiectis: *Semper Latini sermonis puritatem magnum quoddam ac praeclarum bonum esse duxi; semper eam ex illorum, quos supra nominavi, eisque finitimorum scriptis, velut e purissimis fontibus, hauriendam sum ratus.* Quod Muretus de Transalpinis hominibus dicit, etsi minus huc pertineat, tamen me admonet, ut, quod saepenumero miratus sum, hic expromam. Satis constat, laudem bene Latine scribendi iam inde a renatis litteris penes Italos fuisse. Quo quidem in studio, ne alia praesidia commemorem, multum adiuvabantur et patriae linguae similitudine, et vivendi sub caelo Latino conditione, et inde orta cum corporis, tum ingenii temperatura. Nec eam laudem aetate nostra consenuisse, documento sunt disertissimae orationes Iacobi Facciolati et Hieronymi Lagomarsini,

quibus apud alias nationes perraro similes reperiuntur. Quo mirabilius debet videri, ipsos Italos in hac bene scribendi arte a duobus Transalpinis superatos esse. Alter est Muretus, ortu Gallus, de quo iam dudum loquimur; alter Petrus Ioannes Perpinianus, natione Hispanus, qui, nisi in medio spatio corruisset, ipsi Mureto palmam eloquentiae dubiam fecisset. Quamquam fateor, utrique doctorum Italorum, tanquam Corradi, Maffeii, Manutii, consuetudinem profuisse.

CV.

De vita, ingenio studiisque Tiberii Hemsterhusii.

(Elog. Tiberii Hemsterhusii ed. II. Ibid. p. 233. sqq.)

Puerulus litterarum initia *Tiberius Hemsterhusius**) cum ab idoneis magistris percepit, tum a patre Francisco Hemsterusio, qui salutarem artem, quam profitebatur, cum politioribus litteris coniunxerat et peregrinandi studio ductus omnem fere Europam lustrarat. Vis ingenii sic ante annos in Hemsterhusio nostro eluxit, ut multi, quibus carus erat, timerent, ne non vitalis puer esset, aut ingenium tam praecox ad frugem perveniret. Quam sollicitudinem vanam fuisse, eventus docuit. Nam eundem mentis vigorem integrum et illibatum pertulit ad extremam usque senectutem, hoc est, ad aetatis annum octuagesimum secundum, qui vitae ultimus fuit. Una memoria, quamquam raro, lababat, ubi proprium hominis nomen subito edendum esset.

Decimum quartum annum agens, qua aetate plerique in tirociniis haerent, iam versabatur inter cives academiae

---

*) Natus est Groningae 1. Febr. 1685. Ab a. 1704. philosophiae et matheseos professor Amstelodami; ab a. 1717. linguae Graecae, post etiam historiae professor Franequerae, ab a. 1740. eiusdem linguae et historiae professor Leidae. Obiit 7. April. 1766.

Groninganae et praestantissimos quosque bonarum artium magistros audiebat.

Socrates apud Platonem omnia praeclara de Isocrate adolescente auguratur, quod natura philosophia quaedam inesset in eius mente. Simillimam Isocraticae indolem Ioannes Bernoullius, mathematicorum longe princeps, in Hemsterhusio adolescentulo, simulatque eum in disciplinam receperat, sagacissime perspexit. Iccirco nihil antiquius habuit, quam ut philosophiae semina, quae in eius mente laterent, proliceret et recta cultura firmaret. Nec Hemsterhusius Bernoullii augurium fefellit. Nam tanta celeritate altiorem geometriam percepit et in intimos philosophiae recessus penetravit, ut magister fateretur, se, quem cum eo compararet, inter discipulos habere neminem. Atque haud scio an multum fallamur, si altos illos et magnificos de rebus divinis humanisque sensus, qui postea se omnibus Hemsterhusii dictis factisquc protulerunt, magnam partem a Bernoulliana disciplina repetamus. Ipse quidem Bernoullium divino munere sibi praeceptorem obtigisse, cum gaudio, quod vultu et oculis proderetur, fateri solebat.

Ita cum aliquot annos exegisset in academia patria, Leidam venit, invitatus praecipue fama Iacobi Perizonii, qui cum ceteras humanitatis partes egregie, tum veterem historiam elegantius, quam quisquam ante eum, tradebat. Leidae tum casu quodam disiecti erant publicae bibliothecae codices mss. Horum in ordinem redigendorum cura ab academiae curatoribus demandatur Hemsterhusio. Quod curatorum de tantulo adolescente iudicium tam felix omen in posterum tempus faciebat, ut nemo unus dubitaret, quin is aliquando Iacobo Gronovio in Graecarum litterarum professione successurus esset. Verum vacante illa provincia res secus cecidit, non Curatorum voluntate alienata, sed artibus eorum, qui ne luminibus suis obstrueretur, metuebant. Data est professio Havercampo, si minus academiae, at ipsorum rationibus accommodato. Sed haec latere melius

est, quam cum auctorum ignominia et dedecore in lucem proferri. Leidae cum Hemsterhusius studiorum spatia decurrebat, vixdum expleto decimo nono aetatis anno, Amstelodamum, ut iuventuti studiosae viam ad mathesin et philosophiam praeiret, honorifice invitatur. Quis est, qui talem provinciam nactus non totam studiorum rationem commutasset? non humaniores litteras veluti crepundia abiecisset? Talis stultitia in alios, ab angustis doctrinae compendiis profectos, cadere poterat, in Hemsterhusium non poterat, qui praeclare sciret, quo societatis vinculo hae disciplinae inter se devinciantur. Ac reperit Amstelodami, quorum consuetudine elegantiorum litterarum studium non mediocriter aleret. Ornabat tum illam urbem ingeniosus poëta et disertus poëtarum Latinorum interpres, Ianus Broukhusius. In eadem tum aliquot annos degebant Stephanus Berglerus et Ludolphus Kusterus, ille veteris philosophiae scientia, hic critica facultate, uterque Graecis litteris tam excellens, ut ambiguum posteris reliquerint, uter utri ea laude praestaret. Quorum amicitiam Hemsterhusius appetebat cupidissime, tenebatque eo constantius, quo magis ingenium talium virorum sermonibus ad omnis elegantiae sensum acuebatur. Hac tam felici velut contagione Broukhusius in eum transfudit Propertii, Kusterus Aristophanis amorem, salutarem deinceps utrique poëtae futurum.

Sed iam ante intervenerat, quod Hemsterhusium cum Graecis Musis arctius coniungeret. Destituerat vir doctus *(I. H. Lederlinus)* Iulii Pollucis editionem, quae Amstelodami parabatur. Quaeritur, qui destitutas partes excipiat. Itur ad Hemsterhusium. Is, Graevii auctoritate impulsus, operis curam suscipit, et commentatione, iuvenili illa quidem, verumtamen iuvenis Hemsterhusii, eruditissimorum hominum oculos animosque in se convertit. Ipse auctor (quis enim tali aetate se ipsum contemnat?) de hoc opere satis bene sentiebat. Brevi post a Richardo Bentleio, Britanniae Aristarcho, litteras accipit, quibus quidem opera Polluci navata eximie lau-

dabatur; at eaedem litterae Bentleianas emendationes in comicorum loca, quibus Pollux a se dictis fidem et auctoritatem conciliasset, complectebantur. In quibus locis restituendis Hemsterhusius quoque consumpserat studii plurimum, pulchre intelligens, summam rei in illis verti. Enimvero lectis animadversionibus Bentleianis videt, inanem operam suam fuisse, alterum omnia divinitus expediisse. Quo tum animo Hemsterhusium fuisse putas? Ita conturbatus est, ita sibimet ipse displicuit, ut Graecas litteras in perpetuum repudiare statueret. Nec per mensem unum et item alterum ausus est scriptorem Graecum attingere. Hoc si alteri evenisset, quam astute id dissimulasset, quam cautionem et diligentiam, ne in vulgus emanaret, adhibuisset? At ille, o callidum hominem! id narrare discipulis et crebris sermonibus usurpare solebat. Nescio, quid alii sentiant; mihi nunquam maior, quam cum haec de se ingenue fatebatur, visus est Hemsterhusius. Nam acer animi morsus indicat, quos quam altos et veram gloriam expetentes spiritus pectore gesserit, erroris confessio, quantam maximarum rerum fiduciam haberet. Eleganter et vere Celsus de simili Hippocratis confessione ait: *Levia ingenia, quia nihil habent, nihil sibi detrahunt; magno ingenio, multaque nihilominus habituro convenit simplex veri erroris confessio.*

Mox tamen Hemsterhusius, cum dolori successisset cogitatio, quam inique se adolescentem cum critico veterano, eodemque omnium principe, comparasset, et secum in gratiam rediit et cum litteris Graecis. At Bentleianae admonitionis haec vis fuit, ut apud animum constitueret, non ante se in hunc praecipitem locum committere, quam artium omnium copiam mente et cogitatione comprehendisset, et, quoniam in hoc maxime reprehendebatur, comicorum versus non ante tentare, quam varia metrorum genera comicis usitata penitus percepisset. Nec alium, nisi illum ipsum monitorem suum, sibi imitandum sumpsit; hunc enim mirabatur unum, hunc in oculis ferebat, hunc omnibus memoriae nostrae criticis

anteponebat, ne dissimulans quidem offensionem, si quis talis viri magnitudinem, quam consequi nulla ratione posset, per invidiam allatraret.

Inito igitur eruditionis locupletandae consilio, veteres inde ab ingeniorum fonte, Homero, scriptores nunquam remisso studio legit; legit? immo vero excerpsit et in horrea sua congessit, ut, quicquid vel ad utriusque linguae rationem, vel ad historiam, vel ad ritus et mores gentium, vel ad priscam sapientiam pertineret, id paratum esset, ac, si res postularet, inde continuo depromeretur.

Quam consuetudinem ipse in legendo tenuerat, ut a veterrimo quoque scriptore gradum faceret ad eum, qui proximus esset aetate, eandem aliis etiam atque etiam commendabat. Nam primum, ut alias opportunitates omittam, si hac via progrediaris, non verborum tantum, sed etiam significationum, singulis verbis et formulis attributarum, tanquam tempora certius constituas, cuius rei diligens observatio in linguis omnibus valet plurimum. Deinde satis constat, nihil vel bene cogitatum esse, vel bene dictum ab antiquioribus illis, quorum libros velut recte cogitandi scribendique legem et normam probamus, quod non sit variis modis imitata posteriorum sollertia. Cuius imitationis venustatem nec sentias nec intelligas, nisi fontem, e quo profecta sit, cognoris. Thucydidis, ut hoc utar, reconditas exquisitasque sententias Hemsterhusius ita tritas notatasque habebat, ut, quid Polybius, quid Dionysius Halicarnassensis, quid Plutarchus, quid alii inde ad imitationem traxissent, e vestigio indicaret· Ex quo instituto quot quam praeclarae difficiliorum locorum et interpretationes natae sint et emendationes, vel me tacente intelligitur.

CVI.

(Ibid. p. 257. sqq.)

Hic forsitan dicat aliquis eorum, qui nolunt, eundem hominem pluribus rebus excellere: Sit sane ita; habuerit

Hemsterhusius litterarum Graecarum scientia parem neminem. At Latinarum certe regnum penes alios est. Ego vero non dubitem contendere, eum Latine doctissimos non solum aequasse, sed, quod adiumenta quaedam haberet nec cognita illis nec usurpata, superasse. Recte vir magnus statuebat, Latinam linguam Graecae sic aptam et nexam esse, ut, qui alteram ab altera distrahat ac divellat, animi et corporis discidium inducere videatur. Quod cum sibi idoneis rationibus persuasisset, eandem Latinae quam Graecae operam dedit, atque adeo, quoniam eius proprium erat nihil mediocriter scire, talem Latinae, qualem Graecae facultatem consecutus est. Dicam, quod sentio, et, ut arbitror, dicam vere. Latinae linguae origines nemo mortalium ante Hemsterhusium recte cognovit. Viderant Varro et alii Romani, multa ex lingua Graeca in suam venisse. Aliquanto plura, quorum origo veteres fefellisset, ex eadem lingua repetierunt Scaliger et Salmasius. Sed adhuc dubia lux erat. Enimvero inventa Hemsterhusii ingenio Graecae linguae analogia simul etiam Latinae ratio diluxit, patuitque clarissime, quod pauci magis suspicati erant, quam intellexerant, totam fere Latinam linguam ab Aeolica fluxisse. Restat, fateor, pars quaedam, quae invecta aliunde videatur. Verum aut fallor, aut exorietur aliquando vir doctus et ingeniosus, qui, Hemsterhusiana analogia adiutus, eam quoque partem ad Graecam originem revocet planissimeque demonstret, omnem Latinam linguam pulchrae matris Graecae pulchram filiam esse.

Sed mittamus origines. Quantum Hemsterhusio praesidii esse debuit in Graecae linguae scientia ad Latinos scriptores rectius intelligendos? Constat inter omnes, scriptores, quos diximus, maxime poëtas, Graecam formam singulis prope verbis expressisse et innumerabiles lepores veneresque ex Graecis fontibus nunc apertius, nunc occultius derivasse. Nec M. Antonius Muretus dicere dubitavit, *eos, qui Graeci sermonis expertes sint, ne Latine quidem scripta penitus percipere posse.* Iam si cogitatione tibi fingendus sit harum

elegantiarum interpres, an doctiorem Hemsterhusio reperias? Ipse vir summus sese in Latinis intelligendis sic a Graecis adiuvari sentiebat, ut interdum negaret, poëtas eos, qui se totos ad Graecorum imitationem contulissent, nominatim Propertium et Horatium, Graece imperitis valde placere posse. Adeo multa, quae venustissima et exquisitissima sint, eorum sensum intelligentiamque fallere. Omnibus igitur modis bene a maioribus constitutam rationem, qua utriusque linguae studium coniungeretur, tuebatur, ab eaque non semel descitum esse vehementer dolebat. Sub ipsa academiae incunabula Leidae bonas litteras docuit Iustus Lipsius, perfectus litteris Latinis, Graecarum mediocriter peritus. Is dicere ausus est, Graecas litteras homini erudito decoras esse, necessarias non item. Quod stultissimum dictum Isaaco etiam Casaubono, quo non fuit lenioris naturae criticus, vehementer bilem movit. Sed bonum factum, quod tam perniciosa litteris opinio nullas radices egit. Mox enim tanquam caelo missus Iosephus Scaliger, cui Batavi prope omnem rectum ingenii cultum, quem ex eo tempore ceperint, si grati esse velint, acceptum referre debent, Scaliger igitur cum ceteras ingenuas artes, tum Graecas litteras, earumque cum Latinis coniunctionem in his regionibus fundavit. Scaligerana disciplina per Grotios, Heinsios, Gronovios et alios usque ad patrum nostrorum memoriam propagata est. Tum rursus plerique litteratores, Graecis vel neglectis vel leviter delibatis, in unis scriptoribus Latinis habitare coeperunt. Altero igitur Scaligero opus erat, qui Musas Graecas fugam parantes sisteret atque iterum cum Latinis artissimo foedere consociaret. Is fuit Hemsterhusius, quo bonarum litterarum tutelam suscipiente brevi tanta rerum commutatio facta est, ut Athenae in Bataviam commigrasse viderentur, nec tamen quicquam de summo Latinarum litterarum studio remitteretur.

Sed Latine quam doctus fuerit Hemsterhusius, etiam scribendi genus declarat, purum, emendatum, luminibus frequens, bene vinctum, imprimisque proprietatis studio et

verborum delectu commendandum. Una orationi facilitas deest, non comparanda illa, nisi saepe multumque scribendo, cuius rei facultatem raro dabat Graecarum litterarum professio. In iuvene, velut in laetis herbis, se profundebat luxuries quaedam, quam postea ratio et anni depaverunt.

Hactenus virum egregium vidimus Graeciae Latiique monumenta ita tractantem, ut nunquam illa de manibus deponeret. Quo studio quantas eruditionis opes sibi compararit, supervacaneum sit dicere. Eas cum primum in animadversionibus ad Lucianum protulisset, homines eruditos in stuporem et admirationem rapuit expressitque omnibus confessionem hanc, ut dicerent, nihil simile ullam aetatem in hoc genere vidisse; magnam quidem copiam in Salmasii libris esse, sed ibi temere sacco fundi, hic omnia cum acerbo delectu, prope in mathematicorum modum, explicari.

CVII.

(Ibid. p. 278. sqq.)

Animus eius erat, qualem esse oportebat tot sapientum praeceptis conformatum, unius verae et solidae virtutis admirator, contemptor rerum fluxarum et humilium. Roboris quantum in eo fuerit, hoc documento cognoscere licet. Venerant ad eum Franequeram nobilissimi e primaria gente Wassenaria hospites, biduum hilare sumpturi. Cum omnes accubuissent, animis ad laetitiam remissis, ecce litteris fit certior, filium summae spei, Iacobum, qui sibi decus ex militia navali petebat, procul a patria morte immatura periisse. Quid ille? Vultu nihil mutato seponit litteras, simulat hilaritatem acerbissimumque dolorem per biduum pectore premit, quod iucunditatem, cui se hospites dederant, muliebri et nihil profutura eiulatione contaminari nolebat. Tali constantia germanus ille Socraticae disciplinae alumnus, Xenophon, nuntiata inter sacrificandum filii Grylli morte, luctum distulit, dum solemne sacrificium peregisset.

Ostentationem et inanem pompam oderat cum in reliqua vita, tum in docendo, ut exteri, qui ad eius lectiones venissent, vix crederent, hunc esse illum Hemsterhusium, de quo tot ac tanta praedicari audivissent. Famae et magnae de se opinionis prope negligens erat, minime omnium curans plausum vulgi, cui propterea paene ignotus vixit. At quo minus gloriam venabatur, eo magis ad eum sponte veniebat. Quis enim nescit, omnes omnium gentium eruditos una voce una sententia regnum in litteris ad ipsum detulisse?

Prudentia dubito an unquam maior et praestantior fuerit in ullo homine erudito. Credebat Epicharmo, nervos et artus prudentiae esse non temere credere, tenebatque, si quis alius, artem difficillimam tacendi suo tempore et loquendi. In consilio capiendo cautus, consideratus et, si quaeris, lentus; quippe omnes in utramque partem rationes videbat et magno iudicio ponderabat; sed idem, ubi semel quid decrevisset, constans et firmus. Alienus a suspicionibus, sed idem latebrarum, quae in animis hominum sunt, sagacissimus explorator.

Sed prudentia, quae vitam privatam attingit, si in eo summa et singularis fuit, forsitan minus mirum videatur. Unde vero ille, qui nullam rei publicae partem attigisset, tantam hauserat rerum civilium scientiam? Nempe cum eam non experiundo sibi comparare posset, usus et experientiae vicariam adscivit philosophiam, imprimisque omnis priscae et recentioris aetatis historiam. Ex qua virtute academia Batava uberrimum fructum tulit. Nactus enim amplissimum theatrum, in quo civilis illa prudentia spectaretur, foederatorum Belgarum historiam nova et inusitata ratione tradere coepit. Indagabat veras caussas, ex quibus res gestae penderent, remotis simulationum involucris, quibus tegerentur; consilia principum et populorum cur bene, cur secus cecidissent, explicabat; quid expetendum, quid fugiendum esset, demonstrabat, efficiebatque adeo, ut disciplina sua prudentiae civilis magistra et esset et haberetur. Imprimis heroum Batavorum ingenia et mores tanto artificio

pingebat, ut non litterarum professorem, sed Polybium aut Tacitum cathedrae impositum dixisses.

Tali ingenio, doctrina et sapientia fuit Hemsterhusius, cuius similem criticum nos haud vidimus; posteri ut videant, bonarum litterarum caussa vehementer optamus.

CVIII.

De affectata orationis antiquitate Gellii et Appuleii.

(Praefatio Appuleii Oudendorpiani. Ibid. p. 480 sqq.)

Duo scriptores vel imprimis nobiles ex Antoninorum aetate, Gellius et Appuleius, cum eloquentia saeculi sui non contenti meliorem quaererent, iudicio lapsi in aliud genus magis vitiosum inciderunt. Cum enim omne recte scribendi consilium ad unius Ciceronis et, ut quisque ei simillimus est, normam dirigere debuissent, non ii quidem optimos illos omnino reliquerunt, sed tamen cum eorum imitatione scriptores ex ultima antiquitate repetitos ita coniunxerunt, ut modo cum Cicerone, Caesare, Livio et similibus, modo cum Evandri matre loqui viderentur. Ac Gellius quidem in hac κακοζηλίᾳ paullo moderatius versatus est, nec temere et passim verba exoleta arripuit, sed e solis fere comicis priscis voces ac formulas exquisitiores, quibus orationem suam distingueret, libavit. Quod pulchre vidit Lipsius praefat. ad Senecam: *Tu, A. Gelli, non nisi veteres comicos et Latii puritatem sectaris, et exprimis; fatendum est.* Quod iudicium cum verissimum sit, nec obscuro loco positum, mirari subit, ne unum quidem ex tot Gellii interpretibus, nisi forte I. F. Gronovium excipias, ad tam perspicuam et tot vestigiis impressam comicorum imitationem attendisse. Quo minus dubito futuros eius editores quasi praetereundo admonere, ut, si in eo recensendo operae pretium facere velint, in Plauto, Terentio et antiquiorum comicorum reliquiis tractandis assidui sint, et in hac comparatione Gellii vel

explicandi vel corrigendi caput esse arbitrentur. Sed Gellius nihil ad nos, aut, si ad nos, nihil ad hunc locum. De Appuleio res postulat, ut dicamus. Is igitur tantum abfuit, ut sibi in hoc genere temperaret, ut potius e casca vetustate eam orationem conflaret, quam nemo, nisi qui multum temporis in ea Latinitate cognoscenda contriverit, sese speret assecuturum. Scio, viros eruditos esse, qui non omnia huiusmodi verba ab antiquis scriptoribus sumpta, sed temere et pro libidine conficta putent; id quod Drakenborchius ad Liv. XLV. 36. de Gellio affirmare audet, de Apulleio Roaldus ad eius Metam. VIII. p. 550. Sed ego lubentius sequar Oudendorpium ad Metam. IV. p. 246. bene iudicantem, nihil Appuleium sine exemplo scripisse. Etenim bona pars eorum, quae a Gellio et Appuleio licentius insolentiusque ficta videri possint, a grammaticis antiquis, maxime a glossographis conservata reperitur. Quidni igitur reliqua, quorum nullum apud grammaticos, qui nunc supersunt, vestigium est, pari auctoritate niti dicamus? Qua de re liquidius iudicari poterit tum, cum quis iuniorum litteratorum, qui nunc subitariis coniecturis edendis famam venantur, sese ad eam laboris, etsi non nimis grati, tamen litteris et laudi suae magis profuturi, ad eam igitur laboris patientiam sese durarit, ut glossaria Latina, in Leidensi bibliotheca latentia, quibus nihil usquam vel vetustate vel praestantia simile reperias, e tenebris in lucem vocet, linguamque Latinam, de cuius inopia vetus querela est, aliquot mille vocabulis ac formis nondum cognitis locupletet. Quamquam, quae iuventutis nostrae mollities est, magnopere vereor, ne haec surdis auribus canam. Sed redeat, unde deflexit oratio. Est sane ista antiquitatis affectatio molesta Appuleium legentibus. Nescio tamen an molestior sit tumor Africanus, quo orationem in iis quidem libris, quos a doctis legi voluit, praeter modum et pudorem inflavit, ceteroqui minime hebes ad id, quod rectius esset, intelligendum. Quippe in Apologia, quae non in umbraculis eruditorum legenda, sed in fori luce habenda esset, tam vacuus est

his ineptiis scholasticis, ut eius orationi nihil, aut certe non multum, ad summam sanitatem deesse videatur. Ad quem modum si ceteros libros scripsisset, eum, sine ulla exceptione, cum Mureto *eruditum imprimis et venustum scriptorem* vocarem.

Iam scriptor tam eruditus ac tantus eruditionis ostentator cum non unum de multis, sed longe doctissimum interpretem postularet, bonis avibus accidit, ut Franciscus Oudendorpius ingenium et doctrinam suam ad eum illustrandum expoliendumque conferret. Erat ille omnibus praesidiis ad rem bene gerendam necessariis instructus et paratus, exquisita Latinitatis universae scientia, eruditione accurata et recondita, quae non de Latinis tantum fontibus, sed, ut Perizonii discipulum agnoscas, etiam de Graecis esset derivata, summa scriptorum excusorumque librorum copia, usu denique horum instrumentorum totiusque rei criticae tanto, quantus intelligi maximus potest in accuratissimo tot veterum scriptorum editore. Triginta circiter annos in Appuleio emendando versatus est, nec tamen opera continenti, sed aliquoties per alias curas, imprimis per Suetonii editionem, interpellata. Ac potuisset ipse opus prodere, et vivus gloria sua frui, nisi librarii dubitantes, an ex Appuleio tam pingue et paratum lucrum venturum sit, quam ex aliis scriptoribus, qui quotidie in scholis teruntur, rem tergiversando in longum traxissent. —

CIX.

De recentissimis lexicorum Latinorum conditoribus.

(Praefatio ad Schelleri Lexicon Latino-Belgicum. Ruhnk. Oratt. etc. ed. Friedemann. p. 500 sqq.)

Quattuor praestanti doctrina viri lexicorum Latinorum curam, quae vehementer desiderabatur, aetate nostra susceperunt, in iisque emendandis et augendis tanta cum laude

versati sunt, ut multorum iudicio nihil admodum aliis, quod agerent, reliquisse viderentur. Primus Ioannes Matthias Gesnerus, quid in hoc genere efficere posset, Basilii Fabri Thesauro reficiendo et amplificando ostendit, et aliquanto post maius opus aggressus novum Latinae linguae Thesaurum construxit. Sub idem tempus Iacobus Facciolatus, cui Latinitatis scientia et Latine scribendi elegantia comparo paucos, antepono neminem, egregium lexicon condere instituit, Aegidio Forcellino, quem ipse ad hoc studium formarat, adiutore usus, qui tandem solus, sed sub Facciolati auspiciis opus perfecit. Adhuc haec erant. Duodecim annis interiectis, ad eandem Latinitatis recensionem ex disciplina Ernestina venit I. I. G. Schellerus, Latinarum litterarum laude excellens, cuius libri ad grammaticam rationem pertinentes non solum in Germania, sed etiam in Belgio vigent.

Hi viri doctissimi tametsi superioris aetatis lexica sic obruerunt, ut vix amplius appareant, tamen quicunque eorum libros excusserit accuratius, quantum iis ad perfectionem, quam in hoc genere expetimus, desit, facile animadvertat.

Primum in delectu scriptorum, unde verba et loquendi formae ducuntur, non mediocriter errant. Etenim cum inter omnes, quorum de his rebus iudicium est, satis constet, illibatam illam et unam hoc nomine dignam Latinam linguam iis scriptoribus, qui usque ad Antoninorum tempora floruerunt, contineri, nec eos terminos ultra esse proferendos, lexicographi nostri, credo, veriti, ne lingua, si ex optimis tantum sumeretur, inopia laboraret, per omnes aetates vagati, quidquid lexicis constipandis inserviret, arripuerunt et prorsus, ut proverbio dicitur, de faece hauserunt. Ita tanquam idonei testes citantur Ammianus Marcellinus, Marcianus Capella, Sidonius Apollinaris, Cassiodorus etc., id est, scriptores Latine balbutientes. Ventum est adeo ad theologos Christianos, nunquam somniantes, fore aliquando, ut a se quoque symbolae ad Latinitatem probandam corrogarentur. Ac fuit nescio quis in istis, quorum diligentia

Fabrianus Thesaurus ad hanc magnitudinem crevit, qui se pulchre de Latina lingua meriturum speraret, si verba et verborum constructiones ex Tertulliano, quod is ceteris theologis Latinis antiquior esset, in lexicon referret. A cuius sententia dici vix potest, quantopere dissentiam. Sit Tertullianus, quam velis, eruditus, sit omnis peritus antiquitatis, nihil impedio, Latinitatis certe pessimum auctorem esse aio et confirmo. At usus est sermone eo, quo tum omnes Afri Latine loquentes utebantur. *Δωρίσδεν δ᾽ ἔξεστι, δοκῶ, τοῖς Δωριέεσσι.* Ne hoc quidem concesserim. Nam si talis Afrorum sermo fuit, cur, non dicam Appuleius et Arnobius, scriptores priscae elegantiae studiosi, sed Cyprianus, Augustinus et alii ex eadem gente aliter locuti reperiuntur? Quid ergo? Fecit hic, quod ante eum arbitror fecisse neminem. Etenim cum in aliorum vel summa infantia tamen appareat voluntas et conatus bene loquendi, hic, nescio qua ingenii perversitate, cum melioribus loqui noluit et sibimet ipse linguam finxit, duram, horridam Latinisque inauditam, ut non mirum sit, per eum unum plura monstra in linguam Latinam, quam per omnes scriptores semibarbaros, esse invecta. Ecce tibi indicem atrum paucorum e multis verborum, quae viros doctos non puduit in lexica recepisse. *Accendo* pro lanista, *captatela* pro captatio, *diminoro* pro diminuo, *extremissimus*, *inuxorus*, *irremissibilis*, *libidinosus gloriae* pro cupidus gloriae, *linguatus*, *multinubentia* pro polygamia, *multivorantia*, *nascibilis*, *nolentia*, *nullificamen* pro contemptus, *obsoleto* pro obsoletum reddo, *olentia* pro odor, *pigrissimus*, *postumo* pro posterior sum, *potentator*, *recapitulo*, *renidentia*, *speciatus*, *templatim*, *temporalitas*, *virginor*, *visualitas* pro facultas videndi, *viriosus* pro viribus praestans etc.

Sed Tertullianum mittamus et ad rem redeamus. Quanta sub Antoninis facta sit linguae conversio, vix attinet dicere. Vel sic tamen fuerunt, qui non quidem aetatis beneficio, sed veterum imitatione prorsus bene loquerentur, ut Gellius et Appuleius, de quibus diximus in praefatione ad Appuleium. Huc adde iurisconsultos, quorum fragmenta in

Pandectis supersunt. Qui etsi labente Latinitate vixerunt, tamen ex Mucii Scaevolae, Servii Sulpicii, Alfeni Vari et aliorum veterum libris, quos legendo conterebant, et ex ipso Edicto Perpetuo, quod memoria tenebant, talem orationis nitorem duxerunt, ut in classicorum scriptorum numerum recipiendi videantur. Quod ipsum etiam intelligi velim de aliis paucis, imprimis de Claudiano, poëta illo quidem aetatis inficetae, sed meliorum imitatione id consecuto, ut, si minus in primis, certe in secundis cum dignitate stare possit. Talium igitur auctoritas, nihil impedit, quo minus in lexicis adhibeatur. Ac nescio an optandum sit, ut duplicis generis lexica conficiantur, alterum ad florentem, alterum ad cadentem Latinitatem cognoscendam accommodatum. Ut enim semibarbarorum scriptorum lectio nocet tironibus ingenium ad elegantiam formaturis, sic eadem maturiori aetati necessaria est ad eruditionis copiam et varietatem parandam. Quodsi forte dicas, eam aetatem, quae eruditionem venatur, satis per se sapere, nec tali praesidio indigere, fateare tamen necesse est, ea, quae diversae formae et aetatis sint, secerni et separatim tradi debere, non, ut vulgo fit, vetera cum recentibus, recta cum pravis misceri. Quis enim nescit, tirones, quibus lexicon omnia promiscue complexum in manibus sit, cum quid Latine scribere conantur, permulta vitiosa temere arripere, et semel arrepta per omnem vitam tenere, nec boni magistri admonitione aut libellis, qui de barbarismis scripti sunt, facile elui sordes tam mature contractas et tam alte haerentes.

Quo magis necessarium videtur, fontem, unde ista labes tam late dimanavit, obstruere, id est, iuventuti ad humanitatem informandae lexicon tradere, quod, sentina exhausta, solum Latinitatis florem habeat, et cum ad classicos scriptores intelligendos, tum ad bene scribendum satis adiumenti praestare videatur.

Paullo ante lexicographos in eo reprehendimus, quod iis, quibus nulla testimonii dictio est, testibus utantur. At quis credat, ab iisdem etiam tanquam fide dignos

testes citari scriptores commenticios aut per lusum iocumque fictos? Sic bona fide laudant Supplementa Plautina, quae sunt Codri Urcei et aliorum recentiorum, Ciceronis Epistolas ad M. Brutum et Bruti ad Ciceronem, quas ab homine scholastico confictas esse Iacobus Tunstallus et Ieremias Marklandus tam perspicuis argumentis demonstrarunt, ut nihil dubitationis relinquerent; Cornelii Galli Elegias, dudum criticorum obelo confixas, Messalam denique Corvinum de Progenie Augusti, sive verius ex aetate barbara nugatorem.

Sed multo mirabilius est in praestantissimis etiam lexicis locum datum esse vocabulis, quae nullius, ne barbari quidem scriptoris, auctoritate nitantur. Ea quis primus in lexica intruserit, nec tanti est scire, nec quaerere vacat. Suspicor tamen, profecta esse vel a Calepino vel a mercenariis hominibus, qui Calepinum accessione undecunque corrasa amplificarunt. Huius notae sunt *abditamentum*, *accessor*, *amasia*, *aversator*, *caespito*, *captabundus*, *defloro*, *demadeo*, *incertitudo*, *incurabilis*, *inductor*, *intergredior*, *mungo*, alia. Quae in lexicis ponere et simul fateri, nullo in scriptore esse reperta, quid aliud est, nisi lectorem ludere et frustrari? Satis de scriptorum delectu a lexicographis neglecto.

Alterum, quod in iis requirimus, hoc est. Ex quo, discussis ignorantiae tenebris, initium factum erat classicorum scriptorum in lucem revocandorum, omnis criticorum cura eo conversa est, ut iis misere foedatis ac depravatis pristina integritas restitueretur. Ex quo consilio quam immensa vis criticarum observationum nata sit, quis est, qui ignoret? Iam nemo speret futurum, ut ante Latinae linguae lexicon iustum et omnibus numeris expletum habeamus, quam melior pars critici apparatus, quem diximus, eo sit perite et scienter collata. Gesnerus quidem criticorum commentarios excussit aliis diligentius. Verumtamen incredibile dictu est, quantum per festinationem vel longi laboris taedium praetermiserit. Schellerum excusatum habet

fortunae locique conditio. Is enim dignus, si quis alius, cuius eruditio maiore theatro spectaretur, litteras tenui mercede docet in urbe Marti, quam Musis aptiore. Non item excusandi sunt Facciolatus et Forcellinus, quorum utrique publicae privataeque bibliothecae Patavii patebant.

Denique lexicorum conditores nulla in re peritioribus minus satisfecerunt, quam in significationibus *πολυσήμων* digerendis et ordine tradendis. Gesnerus, ut hoc iterum utar, unam alteramve notionem commemorasse satis habens, statim exempla nullo discrimine velut in saccum fundit, lectori huius farraginis secernendae curam delegans. Ita, quod facillimum est, sibi agendum sumpsit, quod difficillimum, aliis reliquit. At vero primus omnium Facciolatus praeclare ostendit, quo et ordine et modo multiplices vocum significationes a nativa et propria per varios gradus ducerentur. In qua distincta et bene digesta notionum explicatione, si verum quaerimus, posita sunt omnia. Eandem rationem a Facciolato acceptam Forcellinus tenuit, et utrumque imitatus Schellerus subtilius et prorsus ad tenue elimavit. Quo magis miror, nullam Facciolati, cui tantum debeat, mentionem ab eo factam esse.

CX.

(Praefatio editionis C. Velleii Paterculi. Ruhnk. Oratt. etc. ed. Friedemann. p. 452 sqq.)

Quod a veterum scriptorum editoribus, qui criticam rationem sequantur, iure postulatur, ut in praefatione accuratam codicum et editionum, quarum in lectionum iudicio sit auctoritas, historiam contexant, id nobis in summa faciendi voluntate facere non licet. Est enim unus tantum huius scriptoris codex, una, quae auctoritatem habeat, editio. Unicus ille, et ne integer quidem mstus, qui Velleium conservavit, sub renascentium litterarum tempus, in coenobio Murbacensi repertus est; ex quo summa diligentia et pari

fide per Beatum Rhenanum, felicem bonis libris proferendis virum, expressa editio prodiit Basileae apud Io. Frobenium 1520. fol. De codice ita scribit Rhenanus: *Non satis erat, vetustatem utilissimum opus initio suo truncasse, nisi fine etiam suo mutilaretur; ut nihil dicam de vitiis, quibus in medio foedissime deformatum est. — Meus codex et unicus erat et mendosissimus. Ausim iurare, eum, qui illum descripserat, ne verbum quidem intellexisse; adeo omnia erant confusa absque ullis punctis aut distinctionibus, etc.* In tanta igitur mendorum multitudine cum facile aliquid Rhenani, quamvis in membranis legendis exercitatos, oculos fefellisset, Io. Albertus Burerius recentem a prelo Velleium iterum ad eundem codicem, qui adhuc penes Frobenium esset, exegit, et discrepantes lectiones, quas enotasset, Rhenani editioni subiecit, tanta religione hac in re versatus, ut singulas syllabas minuta et anxia diligentia ad calculos vocaret. Quo magis miror, quid in mentem venerit Grutero ad Vellei. II. 49. et 68. fraudis nescio cuius suspicionem iacere; quamquam reperti sunt, qui huius iudicii levitatem temere sequerentur, Burmannus ad Vellei. II. 22. et in praef., et Fabricius in Bibl. Lat. T. II. p. 18. Equidem saepe optavi, ut mihi codicis iterum inspiciendi facultas contingeret, non quod me multa, quae Rhenani et Burerii diligentiam fugissent, inventurum sperabam, sed quo certius hominum de litteris bene meritorum fides confirmaretur. Quin etiam amicis quibusdam Alsatis negotium dedi, ut, si codex Murbacensis adhuc superesset, studiose inquirerent. Sed nullum inventum esse nuntiarunt, sive iam olim mala manu ablatus sit, sive nuper admodum perierit in monachorum ex sede Murbacensi in Gebenwilarensem migratione. Sic Murbacensi codice oculis nostris subtracto, relinquebatur, ut Rhenani et Burerii non dubia fide staremus. Hactenus de editione Rhenani, non solum principe reliquarum omnium, sed una etiam propter fidem et integritatem digna, cui nomen editionis tribuatur.

Cum autem in hac editione innumerabiles loci, qui correctione indigerent, superessent, ut quisque mox ad Velleium edendum accessit, ita eius textum pro captu suo vel meliorem fecit, vel corrupit. Quorum editiones, etsi nullum suffragii ius habentes, tamen idcirco inspiciendae sunt, ut, quid quisque correctorum Velleio vel profuerit, vel obfuerit, cognoscatur. Primus, quantum indagare potuimus, in Velleio aliquid mutare instituit Iunta, a nemine superiorum interpretum adhibitus, cuius cura Velleius accessit Iustino et Nepoti, Florentiae 1525. 8. Huic successit Michael Vascosanus, Velleium addens Appiani Alexandrini versioni Latinae, Paris. 1538. fol., cuius item nulla ratio habita est ab interpretibus Velleii. Horum coniecturas diligenter commemoravimus, sicut alii ante nos fecerant in Bonhommaeo et Gryphio, qui et ipsi nonnihil in Velleio novarunt. Sed hi omnes priscam lectionem parce et modeste tentarunt. Mox exortus est, qui tot ac tantis primae editionis salebris offensus, insigni temeritate, prope novum et a Rhenaniano diversum Velleium protruderet, ac nihil moratus corruptae lectionis vestigia, id, quod ab omnibus intelligi posset, dandum existimaret. Quae Velleii editio subiecta est Scriptoribus Historiae Augustae, ante Erasmi cura editis, et mox repetitis Basileae, apud Frobenium, a. 1546. fol. Titulus hic est: *Vitae Caesarum, quarum scriptores hi, C. Suetonius Tranquillus, Aelius Spartianus etc. Annotationes D. Erasmi Rot. et Bapt. Egnatii in vitas Caes. Accesserunt in hac editione Velleii Paterculi libri II. ab innumeris denuo vendicati erroribus. Basileae apud Froben.* 1646. Quem titulum per festinationem legentes Vossius et Burmannus, quod de Scriptoribus H. A. ab Erasmo castigatis dicitur, etiam ad Velleium, qui post accessit, traxerunt. Enimvero Erasmum ignoret oportet, qui talem ei recensionem tribuat. Quis enim minus coniectandi libidini indulsit, aut quis antiqua monimenta tractavit religiosius? Puteanus ad II. 25. inter Velleii corruptores nominat Heleanum quendam, mihi incognitum: *quod depravavit Heleanus, sive*

quisquis alius posterioribus editionibus manum admovit. Sed quicunque Basileensi illi editioni praefuit, fatearis necesse est, acutum et perdoctum hominem fuisse, in quo nihil, nisi effrenatam, de qua diximus, audaciam reprehendas. Cum igitur haec editio, si minus Velleii manum, at certe quod intelligi posset, exhiberet, quis miretur, eam a doctis indoctisque cupide arreptam esse, Rhenanianam autem, tot ulceribus scatentem, prorsus neglectam? Immo, quod magis mirere, sequentes Velleii editores, etiam qui critici dici haberique vellent, hanc adulterinam prae sincera Rhenani expresserunt. Iactat quidem Burmannus, se Velleium ad primam Rhenani editionem exegisse. Sed res non apparet. Ipse quoque Basileensem interpolationem plerisque locis secutus est, satis habens, primae editionis lectiones, quae in textu poni debebant, in notis commemorasse. Quo magis necessarium duxi, verum et germanum Velleium, qualis in Rhenani editione prodiit, tandem aliquando reducere. Quamquam vereor, ne mihi interdum irascantur artis criticae expertes, qui Velleii textum multis locis mendosiorem, quam erat in Burmanniana et aliis editionibus, dederim. Sed sic facere editorem conveniebat, qui non hominum eruditorum somnia dare vellet, sed prima editione, quae ad unius codicis exemplum formata esset, per omnia sequenda, summam lectionis veritatem quaerere statuisset. Ne orthographiam quidem, quamvis saepe vitiosam, mutare ausus sum, recte, ut opinor, iudicans, in scriptore, qui ex uno tantum codice prodiisset, nullam religionem posse nimiam videri. Nec tamen ita me primae editioni quasi in servitutem addixi, ut emendationibus sive aliorum, sive meis, tam liquidis et certis, ut qui dubitet, stuporis notam subeat, locum in textu denegarem. Tum autem diligenter vetus lectio indicata est, ut, qui novam minus probet, ingenio suo fruatur.

Quoniam vero de Iunta, Vascosano et editore Basileensi dicere incepimus, non alienum videtur de reliquis etiam, qui in Velleio recensendo elaborarint, iudicium nostrum interponere. In his alii nullum fere operae pretium

fecerunt, ut Schegkius, Popma, Gruterus, Boeclerus. Quorum postremum, si mei res arbitrii fuisset, hac editione prorsus exclusissem, quod dudum explosa est a viris doctis, imprimis a cl. Ernesto in pulcherrima praefatione ad Tacitum pag. 49. eorum stultitia, qui historicos politica ratione interpretentur. Alii de Velleio praeclare meriti sunt, ut Acidalius, Puteanus, Lipsius, Vossius, Heinsius. Acidalianum nomen gravi invidia laborat, praesertim apud eos, qui nihil in veterum libris emendandis ingenio, omnia mstorum auctoritati tribui velint. Neque ego negaverim, Acidalium, iuventutis aestu ablatum, multa in notis ad Velleium, quorum ipsum postea paenituerit, effudisse. Sed idem tot tam desperata Velleii vulnera tanta felicitate sanavit, ut facile appareat, eum, si ad maturitatem pervenire potuisset, maiorem reprehensoribus suis criticum futurum fuisse. Puteano, cultissimi ingenii viro, quicquid bonae frugis Aldus nepos attulit, sublectum esse, Aldi ignavia credibile facit. Sed ut iste ab avita paternaque virtute descivit, ita Gerardus Vossius se dignissimum tanto patre filium in Velleio edendo praestitit. Omnium tamen Velleii interpretum longe longeque principem pono Iustum Lipsium, cuius miram sagacitatem in vitiis odorandis, et parem sollertiam in iisdem tollendis, non dubitem critices studiosis, tanquam praeclarum huius artis exemplum, commendare. Nec Heinsii in praef. iudicium discrepat a meo: *Lipsius tot coniecturis pulcherrimis Paterculum emaculavit, ut, cum ubique sit in scriptis felix ac praestabilis, hic tamen semet videri possit post se reliquisse.* At Burmannus hunc principatum Heinsio detulit. In quo iudicio plus, quam deberet, Heinsiani nominis favor, et Lipsiani odium valuit. Nos aequi simus, et suam cuique laudem tribuamus. Fuit Heinsius omnium, qui fuerunt, et erunt posthac, in poëtis Latinis tractandis felicissimus. Sed haec tantopere celebrata felicitas illum destituit in prosae orationis scriptoribus, Velleio, Petronio, Curtio, Tacito, aliis. Ac, si dicendum, quod res est, discrimen inter sermonem prosaicum et poë-

ticum non satis videtur tenuisse. Qui enim in accurata eius rei scientia fieri potuisset, ut tot formas poëticas Velleio et aliis, quos nominavi, scriptoribus obtruderet? Longius a Lipsii laude abest ultimus omnium Velleii editor, Petrus Burmannus, praesertim in eo scriptore recensendo, in quo, propter crebras corruptelas, res omnis ad acumen criticum, quo illum minus valuisse scimus, rediret. Sed quid quisque boni ad Velleium contulerit, perspicue apparebit ex notis nostris, ubi veras singulorum emendationes commemoravimus, falsas, quas refutare longum et molestum erat, silentio nostro condemnavimus. Hactenus de Velleii editoribus et nostrae editionis ratione. —

CXI.

(Ibid. p. 459 sqq.)

Maioris momenti est quaerere, quid tandem Velleium impulerit, ut, cum in priore historiae parte tot liberi spiritus documenta dedisset, in posteriore se ad humilem et servilem Tiberii adulationem demitteret? Utrum id gratiae captandae caussa fecerit, an metu diri tyranni subactus? Heinsius in epistola ad Casp. Fagelium, et Perizonius Anim. Hist. cap. VI. p. 211. sibi persuaserunt, Velleium hoc opusculum non alia de caussa scripsisse, nisi ut Tiberii, Seiani et aliorum hominum primariorum gratiam aucuparetur. Verum quis credat, Velleium tam stultum fuisse, ut, cum ad Tiberii amicitiam arrepere constituisset, id non compendiaria via faceret, libello, ut hoc utar, de rebus gestis Tiberii scribendo, sed antequam ad Tiberii laudes perveniret, per mille ambages infinita saeculorum spatia pervagaretur? Addit Heinsius, eundem non alio consilio res Romanas a Troiano excidio et erroribus Aeneae, qui Iuliae nobilitatis auctor fuisset, ad tempora sua deduxisse, nisi ut apud Tiberium, qui adoptione in gentem Iuliam transisset, gratiosus fieret. Sed hoc est fingere, non demonstrare. Nos, unde Velleius

historiam orsus sit, nescimus, initio primi libri intercepto. Atqui, si Troianorum errores memoravit, id fecit eo consilio, quo Graecorum errores attigit, ut civitatum ab illis conditarum primordia demonstraret. Levior est Barthii ratio, nec digna, quae refellatur, cui Advers. LX, 6. Velleius *tantum praeconem Romani nominis agere* videtur, *ut eo solo fine scripsisse videri possit.* Si igitur haec adulatio a nullo gratiae profecta est aucupio, relinquitur, ut saevi et suspicacis domini metu sit expressa. A qua necessitate adulandi caussas Tacitus etiam repetit Ann. I, 1. forte Velleium respiciens: *Tiberii Caiique et Claudii ac Neronis res florentibus ipsis ob metum falsae.* Dicat aliquis cum Lipsio Epist. Quaest. V, 11. *Vera scribere si non licuit, falsa non debuit. Nemo silentii caussam reddit.* At sic Velleio in otio inertissimo consenescendum fuisset; qualis vita magnis et gloriae cupiditate incensis ingeniis mors est; neque historia Romana attingenda. Et quis tam hospes est in Caesarum historia, quin sciat, ipsum silentium probis doctisque viris crimini fuisse? Haec tam misera scriptorum sub tyrannis conditio facit, ut si minus excusandum, certe lenius accusandum Velleium arbitrer, praesertim cum eiusdem culpae socios habeat, ne de poëtis dicam, Valerium Maximum, Senecam, Curtium, utrumque Plinium, Quinctilianum et alios. Atque hanc sententiam, praeter R. Bentleium ad Lucan. I. 33. maturiore aetate idem, qui iuvenis alia omnia senserat, Perizonius in Curtio vind. pag. 5. probavit. Alii alia in Velleio reprehendunt maiore cum iniquitate. Mitto Aldum nepotem, hominem nullo in his litteris sensu praeditum, qui ad II. 52. Velleium non optimum Latinitatis auctorem vocat. Barthio occurrendum est, qui Advers. XVI. 7. et ad Stat. II. Achill. 146. orationis elegantiam Velleio facile concedens, tamen sibi in eo castrense dicendi genus visus est reperisse. Quis non atrum verborum et locutionum castrensium indicem, quo talis accusatio confirmaretur, exspectasset? At ille ridicule defungitur duobus exemplis verborum *praescribere* et *praedicere*, pro supra dicere,

quorum prius a mala manu Velleio insertum docuimus ad II. 21, posterius Trogi Pompeii, Columellae et aliorum auctoritate defendimus. Non minus falsum est, quod Burmannus dicit, Velleii dictionem multum a munditia Augustei aevi descivisse. Id non melius refelli a nobis potuit, quam locutione quaque, de qua talis dubitatio nasci posset, optimorum scriptorum exemplis confirmanda. Alia igitur Velleii vituperatores reprehendant, si volunt aut possunt; venustum et exquisitum loquendi genus carpere supersedeant, nisi veteris elegantiae inscitiam prodere velint. Rectissime idoneus, si quis alius, huius rei arbiter, M. A. Muretus ad Cicer. Catil. III. 10. ait: *historiam a Velleio terse imprimis atque eleganter explicatam esse.* Ne tamen Velleium simpliciter et sine exceptione laudemus, ultro fatemur, perinde nobis ac Burmanno aliisque multis, nimis frequentatum videri istud acutarum festivarumque sententiarum aucupium, quod in prosam orationem primus invexit Trogus Pompeius, in ligatam Ovidius. Certe plus laudis ab intelligente posteritate tulisset, si hac quoque parte imitatus esset Sallustium suum. Hunc enim unum sibi imitatione effingendum sumpsit, ab hoc illud artificium indolis humanae describendae didicit, huius aemulatione efficax est et brevitate nervosus, ab hoc denique totus ita pendet cum in verbis, tum in orationis structura, ut magnopere mirandum sit, rem tam manifestam viros eruditos fefellisse. Hac imitatione semel animadversa, quo studio nos ad Velleium, eodem ad Sallustium cognoscendum dedimus. Ac profecto, si forte aliis felicius in Velleio corrigendo versati videmur, quamquam nobis non tantum sumimus, ut Lipsii felicitatem nos assecutos putemus, verumtamen si Velleius cura nostra castigatior prodit, illud non tam qualicunque ingenio nostro tribuendum est, quam summae familiaritati cum Sallustio contractae, et perpetuae utriusque scriptoris comparationi. Hic aliquis quaerat, quid sit, quare et Velleius et ceteri historiarum scriptores, deserto eloquentissimo Livio, sese certatim ad Sallustium imitandum contulerint? Sallustianus

fuit, teste Seneca Ep. 114. Arruntius, belli Punici scriptor, qui dudum periit, Sallustiani, qui supersunt, Tacitus, Septimius, Sulpicius Severus, Pseudo-Hegesippus. Nempe ab his omnibus, sicut a Martiale XIV. Ep. 191. habitus est

Primus Romana Crispus in historia.

Ioannes Nicolaus Niclasius 1733—1808.

CXII.

Memorabilia quaedam e Ioannis Matthiae Gesneri vita.

(Io. Nicol. Niclasii epistola familiaris de Io. Matth. Gesnero ad Eyringium in Biographia Acad. Gotting. Vol. III. p. 8 sqq.)

Gesnerus antequam in academia Ienensi iustam nancisceretur staturam, non modo corpore fuit brevi, adeo ut vulgo in patria audiret *parvulus Gesnerulus*, sed et multa erant alia, quae impedirent, quo minus opinari quis potuerit, illum caput olim tanto esse opere elaturum. Imprimis paupertas dura, sed honesta atque adeo gloriosa, diu illi obstitit vehementer. Scilicet pater, qui sacra curavit in oppidulo Anspacensi, cum morbo conflictaretur gravi et nimis diutino, pia mater omnes opes impendit ad malum exquisitis remediis propulsandum, sed studio irrito sine effectu. Nam exhausta re familiari, paullo post moriens vir optimus piissimam coniugem cum quatuor filiis, quorum minimus erat noster Matthias, in summa reliquit egestate. Quae caussa fuit, cur duro admodum initio usus sit adolescentiae. Scis, Eyringi, in Germania superiori duo esse

genera discipulorum, canendo sibi suisque studiis aliqua quaerentium praesidia, quorum alteri vocantur *chorus symphoniacus;* alteros vero, quoniam non, ut illi, per plateas animos beatiorum cantibus permulcent statariis, sed vicos urbium perambulando gradu concitatiori canunt, *discipulos* dicunt *currentes.* Quorum conditio cum minus sit honorata, quam istorum, cumque munia iis sustinenda sint onerosiora, nemo temere in illorum se cooptari collegium patitur, nisi sit pauperrimus. Sed in horum numero fuit aliquamdiu Gesnerus. Et cum ibi mos esset, ut operae suae praemia caperent non nummulos solum, sed panes quoque, quos novissimus deberet colligere ostiatim, ipse quoque hoc munere functus est. Aliquoties illum inter discipulos memini dicere, non tristi aut acerbo vultu, sed, ut erat venerabundus divinae cultor providentiae, exhilarato: *Ego et Salomo Gesnerus Vittebergensium theologus ille, diebus Domino nostro sacris panarium portavimus in tergo.* Etiam Ienae per duos annos vixit in inopia, sed ita, ut severam istam amicam pateretur facillime. *Saepe,* Gesneri verba repeto, *spatia ante portas urbis facturus, non nisi grossi, quem Misnicum vocant, possessor fui unici, et cum mendici me longe pecuniosiores mihi obviam fierent, dedi illis nummum meum, hac quidem lege, ut redderetur dimidiatus, unde deinde poma ad vitam aliquot per dies tolerandam emi.* Mos tum fuit, utrum adhuc sit, non habeo dicere, sed tum fuit mos, ut in familiis, quacunque de caussa honoratioribus, natales et funera carminibus celebrarentur. Hoc institutum Gesnero poetae, ut tum tempora erant, etiam cum patria lingua caneret, valde probabili, admodum salubre fuit et quaestuosum, adeo ut aliquoties, cum iam ad incitas redactus esset, inde praeter opinionem subito pusillum nactus sit laxamenti. Reliquis vero, quibus in academia illa litteris operam dedit, tribus annis, in domo et sinu adeo celeberrimi istius theologi Buddei, primum assecutus est fortunae lautioris gradum. Per illum innotuit Duci Vinariensium serenissimo, qui eum ad se vocavit, ut gymnasium suum regeret loco secundo.

Adeptus deinde est honores ceteros, eo, quem nosti, ordine.

Etiam coniugium illud, omnium, quae noverim, fortunatissimum, diu comitem habuit paupertatem, quae tamen sensim alienata locum fecit Pluto. Quibus artibus dissuta sit arta ista cum pauperie amicitia, et quibus conglutinata altera illa, quae felicior vulgo putatur et optabilior, si quaeris, sic habeto. Est virtus, quae civibus nostris ne nomine quidem innotuit patrio, et quae hoc saeculo ita fere disparuit, ut necesse habeamus illius descriptiones ex libris Graecorum Romanorumque anxie conquirere antiquissimis. Frugalitas Romanis est. Haec cum Gesneria, quamdiu illa vixit, individua habitavit, illamque pro hospitio praemiis amplissimis decoravit atque splendore. Huius illa viva erat imago. Documenta ex infinitis duo tantum proferam, sed ea, quae sint instar omnium. Cum mater facta esset, non faciebat, quod reliquae, quae nutrices emunt, famulis augent familiam, sumptibusque faciendis fatigant maritos. Ipsa, quod pepererat, non nutrivit modo ac diligenti cura fovit et educavit per se, sed eodem tempore negotia quoque domestica tractavit alia. Et ne, dum ipsa rebus esset suis intenta, aliquid inde detrimenti caperent parvi abiecti aut neglecti certe, illos linteo adstrinxit suo ipsius corpori, et sic expedivit res. Lutherum divum, cum aliquando vidisset mulierculam, quae infanti mammam praebens puerulo ante se stanti alteri preces et verba sacra praeiret, neretque simul insuper, *Bone deus!* exclamasse dicunt, *tam diligentem nunquam vidi, quae tres labores uno tempore profligaret.* Dive heros! in domo Gesneri nostri pulcherrimum spectaculum hoc, sed rarissimum idem, poterat tum videri quotidie. Vidisses hic quoque Gesnerum, tanquam alterum Philippum tuum, una manu vel libros vel calamum tractare, altera vero movere cunas. O vos felices! quibus talis contigit pater et mater talis. Scilicet inter alia bona hoc quoque debebat domui Buddeanae non leve nec ultimum, quod poterat non inter ploratus modo parvulorum, sed inter

strepitus adeo et tumultus maiores sine perturbatione suis vacare litterulis. Nam cum in illa sic habitasset, ut eius cubiculum quotidie quingenti et amplius auditores Buddei praeterirent aliquoties, eum habitum induerat, ut nunquam quidem sensibus ea, quae extra fierent, non perciperet, sed ut animo posset imperare, ne se invito abduci se a rebus agendis aut turbari pateretur. Inde etiam habebat hoc, quod eodem tempore non legere tantum poterat et audire, verum scribere quoque et docere. Neptis quotidie hora sua inveniebatur in cubiculo avi vel imitans chirographum, vel litterarum tractans rudimenta, ubi, sive legeret, sive scriberet ipse, eam subinde nunc monebat, nunc eius interpellabatur interrogatiunculis.

At nunc redeo ad exemplar illud Sabinae frugalitatis atque disciplinae, Gesneriam. Nam hi coniuges, qui per totam vitam fuerunt coniunctissimi, neque hic vel possunt vel debent esse seiuncti. Leve est, quod dicam, et omnino iudicarem relatu indignum, nisi testaretur de amoenitate ingenii muliebris, et quandam haberet iucunditatem. Munditiei erat studiosissima, sed non sumptuosae. Igitur parvulos suos non, ut nunc est saeculum, auro et argento ornabat, neque volebat eos plumatos; sed, quoties sine dignitatis imminutione fieri poterat, induebat illis vestes puerili agitatione discissas, a se vero resartas. Has ut gererent animo lubentissimo et ultro optarent liberi sui, effecit mater prudentissima persuadendo illis, haec vestimenta, tali distincta modo, caeli esse stellati picturas. Hoc muliebre strategema multifariam profuit. Non enim fecit solum ad rem tuendam familiarem, sed placuit etiam viris honestissimis, si forte ex improviso opprimerent Gesnerum domi suae, et filiolum inter ludos suos audirent matrem laudare eo nomine, quod sibi solem, lunam falcatam, Venerem stellasque alias vesti inseruisset suae. Quae res cum iocis dedit occasionem amoenissimis, tum leporem habuit maiorem, quam si puerulum ornatum offendissent splendidissime.

CXIII.

(Ibid. p. 52 sqq.)

Gesnerus scholae Thomanae affulsit tanquam novum sidus, quae sub eius moderamine velut a stirpibus laetius renata est feliciusque. Non enim est modo splendide aedificata, sed accepit quoque, quantum in ipso fuit, formam plane novam. Disciplinae nimirum scholasticae, quae erat corruptissima, et morum dissolutorum omni ex parte corrector fuit ita, ut, licet omnium exspectatio fuisset maxima, ille tamen hanc longe superarit. Ex documentis infinitis hoc habe. Fovebat illa liberalis bonarum mentium nutrix multos nebulones in sinu suo, Cretensibus simillimos, qui essent *ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί,* quique, Musarum cultum mentientes, suam curarent cuticulam. Morbos fingentes nescio quos efficiebant, ut alerentur lautius, semperque haberent ferias, menstruas interdum, immo trimestres ac semestres. Medicorum vero, quae dabantur, potiones aut proiiciebant foras per fenestras in fossam, qua circumdata est urbs, aut ferebant eo, quo saturi ire solent. Si rationes vidisses annuas expensorum, quae ante Gesnerum medicis, pharmacopolis et iis, qui aegrotos curarent, lata sunt, hanc non scholam esse dixisses, sed valetudinarium. Verum magna fuit ludi tam pestilentis felicitas, quod isti datus est Gesnerus, qui, tanquam esset Hippocrates, remedia proposuit tam celeria, tam potentia, ut brevi, morbis fugatis omnibus, omnia essent saluberrima. En, quibus hoc effectum est, remedia. Quoties aliquem aegrotare audivit, illico accedens ad illum blande cum eo colloquitur; sciscitatur de valetudine; dicit: *nondum liquere, quodnam morbi genus sit; interim dum cernatur, abstinendum esse omni cibo, praeter iusculum tenue, et lecto utendum.* Tum apposuit custodem, qui eum lecto contineret curaretque, ut feriae, quas ipse indixerat, esuriales rite celebrarentur. Si, aliquot diebus sic actis, nondum convaluisset, tum nihil subesse

fraudis credens, aegrotum cura complectebatur paterna; quod tamen vix semel aut iterum factum est. Nam plerumque intra biduum curati sic bene confirmati assurrexerunt ex morbo, quem, sive fictus ille fuisset, sive verus, inedia et taedium ex otiandi et cubandi imposita necessitate ortum, depulerant.

CXIV.

(Ibid. p. 57. et p. 95 sqq.)

Ingenium, studium, exercitatio, longusque usus, quantum efficere queant, cum vellet aliquando demonstrare, Schlegelium, cuius in Caritatis suae memoria mentionem fecit, citabat ad testimonium. Hunc Gesnerus hospitio blande ac benigne acceptum vino primae notae honoraverat, quod non hilaritatis modo dulce seminarium esset, sed ebrietatis etiam hospiti. Quod tamen σύμπτωμα non insolenter plane in eo tum exstitit. Igitur saucius mero affectusque fatigatione itineris nummorum interpres, fulciens gravatum caput brachiis, obdormiverat ad mensam. Hic ita stertebat, ut, cum hora sua in lectum vocaret patrem familias, hospitem ad eodem beneficio utendum nemo posset excitare, ne vi quidem leniter adhibita. Gesnerus ergo eum per dolum aggreditur, sumit nummum antiquum, oblitteratum adeo, ut in illo Gesnerus et amici reliqui, quamvis acute cernentes, nihil agnoscerent. Tum acclamat numismatum explanatori: *Hic teneo nummum, quem omnes dicunt inexplicabilem. An tu forte, mi affinis, qualis ille sit, potes divinare?* Ad haec ille dicta caput paullulum erigens et, vix allevatis aegreque diductis oculis, uno eorum coniectu, procul in manu Gesneri, nam ipse non mutaverat brachiorum positum, nummo vix bene viso, oscitans, somno torpidus, crapula et capitis errore lapsans, titubante lingua, *Est*, ait, *nummus Antonini*. Cum hoc dicto redit ad stertendum. Gesnerus serio credens, eum nummos somniantem haec dixisse, postero die denuo profert suum nummum. At

Schlegelius, quae temulentus dixerat, eadem dicit crapula exhalata sibique redditus, *nummum esse Antonini*, repetens: *Heri iam ex me audisti*. Hic vero Gesnerus plane obstupuit. Allatis deinde signis iis, quae dubitare non sinerent vere a Schlegelio pronuntiatum esse, intellexit haud ambigue, se domi suae Sphinga habere, quae per somnum menteque obnubilata non minus, quam serena ac vigilans soluta daret aenigmata. —

Solebat inter alia id operam dare, ut hospites inter colloquendum sensim traduceret ad illam scientiam, cui potissimum essent dediti, ut hac ratione eius fierent doctores. Aut, si horae consumerentur sermone, paciscebatur sibi hoc, ut impertirent sibi de suis aliquid, peterent deinde a se, quae viderentur. Venit aliquando alumnus Neptuni, homo, qui omnibus maribus, mediterrraneo autem diutissime esset iactatus. Quos misceret Gesnerus sermones cum nauta, cui Proteus suis cum pecudibus innotuisset quidem, rebusque maritimis qui esset exercitatissimus, Musas autem nunquam, ne e longinquo quidem salutasset? Commode occurrit, quod audiverat de linguae commercio peculiaris, quod illo in mari nautae inter se habent. Vulgo cluit *lingua Franca*, estque conflata ex linguis Arabica, Italica, Gallica, Hispanica, Anglicana, maxime autem Gallica et Itala. De hac igitur nascuntur sermones. Cumque affirmasset navita, esse illam naturae maxime convenientem, facilemque adeo, ut vel Arabes nullo negotio illam intelligant, plurima ab illo expiscatur vocabula, in his, interpretem esse *Miparlitiparli*, quasi tu dicas, *qui ad me, qui ad te loquitur*. Ita describitur officium eius, quem nos vocamus *einen Dolmetscher*. Nosse haec et scitari humanum est et philologo dignum; sed eadem a curiositate traducere ad utilitatem, Gesnerianum est. —

Fuit autem bibliotheca *Goettingensis* Gesnero non doctrinae modo, sed prudentiae quoque schola. Ac ne longum sit, uno defungar exemplo. Aperiens illam quodam tempore viro venerabili, dum caedunt sermones, facit quod

semper facere solebat: vultum et oculos diligenter observat, tanquam animam per fenestras suas perspecturus, illiusque hausturus imaginem. Quod dum facit, ora sentit hospitis eo suffundi rubore, qui proditor est iracundiae. Miratur hoc quid sit, et magis etiam intendit oculos. Tum alter ille aperte conqueri et accusare Gesnerum; dicere inter alia: *satis et abunde miseriae esse, quod altero oculo captus esset casu acerbo; non cadere in eius humanitatem hanc infortunii exprobrationem.* At Gesnerus satisfacere illi et affirmare liquido omnique ratione: *se, nisi ipse dixisset, hoc fuisse ignoraturum.* Et sic facile sarta gratia denuo coiit. Inde vero didicit et, quod didicerat, docuit, prudentiae esse et humanitatis adeo, avertere oculos a mutilatis aliorum membris et dissimulare ea, quasi non videas. Esse enim hoc infelicium tanquam proprium, ut se semper putent contemni.

Samuel Fridericus Nathanaël Morus 1736—1792.

CXV.

De vita et studiis Ioannis Iacobi Reiskii.

(Sam. Frid. Nath. Mori de vita I. I. Reiskii libellus edit. Lips. 1777. 8. Friedemann. Vit. hominum eruditiss. ab eloquentiss. viris script. vol. II. p. 1. Brunsv. 1825.)

Omnis fere Reiskianae vitae summa fuit, non cedere malis, sed audentiorem contra ire. Quantacunque intelligi

potest paupertatis foeditas, eam omnem Reiskius expertus est. Quidquid cruciatus habet ille morbus sedentariae vitae proprius, id diu noctuque animum et corpus eius laceravit, cum post vicesimum fere aetatis annum saepenumero omnis cogitandi acies hebetaretur, et post diurnas iactationes aut insomnes essent noctes, aut tumultuosis somniis anxiae; unde malum ad eam saevitiem processit, ut interdum se plane destitutum existimaret, ut nullum senectutis diem doloris sensu vacuum ageret, ut summa tristitia eum ad litteras, amicos, munera, res domesticas comitaretur, ut anxietas et metus adstantibus lacrimas extorquerent. Adde his iacturam parentum, incepta centies irrita, multa multorum odia aliosque per omnem vitam gravissimos casus. Poteritne maior hac calamitas fingi, aut litterarum studio tristius impedimentum obiici? Etiamsi vero tanta sunt haec mala, ut singula singulorum vitam satis reddere possint aerumnosam, tamen Reiskius, his omnibus unus obrutus, multarum litterarum scientiam perfecit, multos libros scripsit, multis hominibus inserviit, muneribus cum fide functus est, et, copiolis suis omnibus in librorum editiones impensis, novo plane modo erga viros doctos liberalis fuit. Huius ergo viri vitam propius nosse, et ipsius et litterarum caussa fas est.

Misenensis fuit, in oppidulo Zoerbigensi anno superioris saeculi sexto atque decimo, die quinto et vicesimo Decembris natus e Ioanne Balthasaro coriario et Ioanna Christiana Klossia; a quibus filius decennis, usus aliquamdiu privata Meisneri disciplina, in orphanotropheum Halense deductus est, ubi quinquennium exegit, interque alios praeceptorem nactus est Sigismundum Iacobum Baumgartenium, theologum Halensem longe celeberrimum et eruditissimum, cuius memoria tam grata fuit Reiskio, ut, si quid molesti habuisset illud tirocinii tempus, id omne suavitate nominis Baumgarteniani compensaretur. Saepius vero dolebat, se non ab omnibus illius scholae praeceptoribus eo ductum esse, quo debebat, hoc est, ad eas artes, quibus reliquarum disciplinarum com-

mentatio continetur; cum plerumque in recentiorum quorundam epistolis Latinis detineretur, raro veterem Latinitatis genuinae scriptorem cognosceret, aut, si quem attigisset, non tam bona eius, quam verba externamque speciem intueri et admirari iuberetur. Nec fuerat ea philosophiae et matheseos scientia imbutus, quam illius aetatis intelligentia commode capit, carebatque multis, quae eum academiae maturum redderent.

Igitur anno tertio ac tricesimo Lipsiam profectus, cum certam litterarum viam neque ingressus esset antea, neque ingredi sciret, ab alio ad aliud delatus tandem in libris magistrorum Iudaicorum et litteris Arabicis haesit, incuriosus de reliquo, qua re eas et quo modo disceret; satis erat, eo sequi, quo nescio quis impetus animi fluctuantem abstulisset; quamquam senex confessus est, adolescentiam suam in hac quidem re stimulis gloriae ac famae potissimum concitatam esse. Unte etiam curtam supellectilem Arabicis et Rabbinicis libris coëmendis impendit, nec ullum aliud vitae sustentandae praesidium aut oblatum accepit, aut sponte quaesivit, modo sitim istam expleret, ac totus in adamatis litteris esset. Nec reprehendimus hunc ardorem, sine quo nihil egregium exsistere potest, miramur tamen, multos in aliquo genere excellentes viros ab initio fere sine duce, sine ordine, sine consilio et dilectu versatos esse et temporis viriumque magnam iacturam fecisse, donec redirent ad se, cognita digererent et studium ordine prudentiaque moderarentur; qui si statim perito monitore usi essent, incredibiles videntur facturi fuisse progressus seque ipsos superaturi. Sed quem semel acerrimum honoris et gloriae studium agitare coepit, ei, praesertim iuveni, vel summa festinatio tardior videtur.

Inter haec accepit a Wolfio, theologo Hamburgensi meritissimo, librum Arabicum Haririi, manu scriptum, quem cupidissime cognitum anno septimo et tricesimo Lipsiae edidit. Qua re studium illud tantopere confirmatum est, ut, cum magnam Arabicorum librorum multitudinem passim in bibliothecis, Leidensi nominatim, latere inaudiisset, oc-

casionem iis utendi quovis modo quaerendam esse existimaret. Decrevit ergo, quamquam nemini apud exteros notus, et cum maxime multo gravioribus, quam antea, rei familiaris difficultatibus impeditus, Leidam petere, ut praeter codices Arabicos etiam viros doctissimos, qui Bataviam orientalium litterarum excellenti disciplina illustrabant, cognosceret. Tanta vis cupiditatis fuit, in eo praesertim ingenio, quod rem inchoatam deponere nesciebat. Ingressus est iter anno duodequadragesimo, in quo Raphelium vidit et Wolfium, de quo diximus, qui et omnino animum iuvenis confirmavit et laetiorem incepti spem ei obtulit. Dorvillio enim, apud quem amicitia plurimum valebat, ita tradidit Reiskium, ut commendationis fructus mox enasceretur; quamquam in ipso Reiskii ardore, quem omni modo testatum faciebat, haud exiguum fuit ad conciliandam Dorvillii voluntatem momentum. Promisit nempe Dorvillius sexcenorum florenorum stipendium, si Reiskius ipsi in conferendis ac describendis codicibus operam amicam addicere vellet. Quam quidem conditionem noster renuit, non quo fugeret huiusmodi negotia, aut lucrum tale sibi necessarium esse dubitaret, sed quoniam incredibilis Arabicorum codicum amor urgebat, ut Leidae mallet Arabica pauper discere, quam alibi, securus egestatis, in aliis litteris tempus et operam collocare. Leidae igitur, victis tandem obscuritatis difficultatibus, Schultensio patri innotuit, per eumque veniam codicibus bibliothecae publicae Arabicis utendi impetravit, in quibus legendis ac describendis quinquennium fere versatus est. Edito inter haec carmine Arabico (Tharaphae Moallakah), multo etiam magis se in gratiam Schultensii insinuavit, ab eoque iussus est catalogum codicum Arabicorum Leidensis bibliothecae conficere. Premebat vero Reiskium gravissima paupertatis moles. Nam labor catalogi conficiendi non fuerat magnopere fructuosus, et cetera, quibus adlevare onus egestatis solebat, partim operosiora quam pro magni lucri exspectatione fuerunt, partim non omnino prospere cesserunt. Cum enim errores typographorum correctoris nomine notaret, nominatim in

Petronio Burmanniano et glossarii Hesychiani tomo priore, coeperat subinde in textu Petronii quaedam sponte mutare, iustoque longius emendandi studio progressus et gravem sibi contraxerat reprehensionem, et alios ad mandandum sibi tale munus cunctantiores reddiderat. Una occupatio laetior fuit, cum Graecarum litterarum studiosos, in his Schultensium filium, privatim erudivit.

In omnibus tamen his vicissitudinibus Dorvilliana amicitia non modo integra mansit, sed artius adeo copulata est, perpetuaque studiorum societate ad suavissimam familiaritatem progressa. Scilicet Reiskius, in villam Dorvillianam Leida vocatus, saepius mensem unum et alterum cum amico vixit, codices in eius usum contulit, Charitonis codicem Florentinum descripsit, ipsumque opus, quamquam paullo breviore temporis spatio, Latinum fecit et alia a Dorvillio sibi demandata curavit, atque interdum haud parvam eius liberalitatem expertus est. Huius amicitiae insigne monumentum exstat in praefatione Anthologiae Graecae a Reiskio editae. Nemo enim videtur maiore erga aliquem veneratione uti posse, quam illo in loco erga Dorvillium Reiskius; adeo se ei postponit, adeo observanter veniam rogat, quod edenda Anthologia succedere in locum praestantissimi Dorvillii sustinuerit. Sed cum ab uno amico omnia vitae fortunarumque praesidia neque peti possent neque exspectari, et Reiskius tamen, omnibus copiis destitutus, multis indigeret, praesertim qui ceteris, quondam amicis, nunc uteretur paullo alienioribus, munusque conrectoris Campensis oblatum sibi declinasset, et monitus est ab amicis et ipse decrevit in patriam reverti. —

CXVI.

(Ibid. p. 16 sqq.)

Dicendum videtur, priusquam reliqua persequamur, quos fructus aut ipsi Reiskio, aut litteris tulerit illa linguae

Arabicae scientia, tredecim annorum continuo studio parta, codicibus omnis generis veluti nutrita, auctoritate et exemplo summorum virorum gubernata et omnis vitae tenore exculta. Ac cetera quidem praemia, quae ipse tulit, fuere pauca, nec ullum illustre, praeter munus professoris linguae Arabicae in academia Lipsiensi; sed ipse tanto plus aliis profuit, honestissimamque recte factorum mercedem meruit. Si enim non spernendum est ab omnibus in aliquo genere excellentem haberi, non quia fama sic ferat, sed intelligentissimi viri ita esse et sibi et aliis persuadeant, quis tandem neget, Reiskium hac existimatione felicem fuisse, quem plerique in Arabicis consulerent et audirent, cuius cognoscendi caussa exteri Lipsiam ventitarent, cuius essent per omnem Germaniam discipuli multi, qui, quae a ceteris essent desperata, explicaret commode, qui, quod indolem linguae e divitiis codicum, grammaticorum ac scriptorum omnis generis hausisset, non e lexicis paucisque librorum nonnullorum fragmentis prae ceteris audiendus videretur, qui plures codices Arabicos sua manu descripsisset, quam aliis legere contigisset, qui ornatam quoque Arabum scripturam, quam quidem calligraphiam apud illos in parte doctrinae et lectu difficillimam esse constat, expedite legere atque extricare posset. Cum enim Niebuhrius Danus, ex Arabico itinere redux, Reiskium salutasset, tanta viri admiratione captus est, ut in Descriptione Arabiae, quae anno superioris saeculi secundo et quadragesimo Hafniae prodiit, profiteretur, neminem se vidisse, cuius in hoc genere scientia Reiskianam aequaret, cum ea adeo, quae in Arabia nemo sibi detegere potuisset, Lipsiae patefecisset Reiskius. Vidimus ipsi Reiskium periculi faciendi caussa illas Niebuhrianas tabulas ex tempore explicantem, non celeriter modo, sed et docte, cum vel de lingua, vel de formis litterarum et compendiis, vel de ritibus Arabiae, de antiquitate et historia uberius dissereret, quam in magna diligentia commentarii, labore multo consignati, exspectari potuisset. Tantum erat orationis flumen, tanta rerum copia.

Et in hac scientia, in hac laude tamen Arabicis litteris parvum statuere solebat pretium. Nemo fere eius disciplinam expetiit, quin ab eo graviter deterreretur, non quidem augendis difficultatibus, quarum cogitatio neminem debet a discendi spe conatuque depellere, sed quod homines putaret plus adiumenti inde sperare, quam ipsa res pateretur; nam nisi quis historiam Arabiae spectaret, cetera libris Arabicis tradita non tanti videri, ut iis multum temporis consecraretur. Sed fortasse huius animi alienioris caussae fuerunt in taedio repetendi centies eadem illa elementa, quae ingenio acriori diu placere nequeunt, aut in casibus adversis, inter quos ipse ad illud peritiae fastigium adscenderat; quorum quanta sit vis ad minuendam rerum iucundissimarum oblectationem, quis ignorat? praesertim si cui paullo mollius sit ac humanius pectus, quod alios, simili studio deditos, in similis miseriae societatem venturos esse frustra quidem, sed amanter veretur. Nihilo minus, quem nactus fuerat discipulum, hunc tanta cum fide et comitate adiuvit, quasi ipse eum advocasset, eiusque constantiam blanditiis demerendam putaret. Neque enim tempus modo, matutinum pariter ac vespertinum, et horam, quam ceteri fere oblectationi et honestae quieti tribuunt, discipulorum arbitrio indulsit, sed praeterea facillimos habuit aditus, sermonesque, quandocunque vellent, cum iis conseruit, longe amicissimos illos et utilissimos. Atque his discipulis suis omnem apparatum librorum Arabicorum manu scriptorum, ex Batavia allatorum, liberalissime concessit, eos tractare docuit, describi permisit, etiam typis imprimi, sine ulla invidiae significatione aut lucri cupiditate, notis item additis suam sententiam discipulorum interpretationibus adiunxit. —

CXVII.

(Ibid. p. 22 sq.)

Sed veniamus ad reliquum vitae decursum. Dum ergo Reiskius Batavos relinquit, Zwollae salutat Abreschium,

virum doctissimum, cuius in se excipiendo ornandoque humanitatem singularem saepe praedicavit. In Germania adiit viros earum urbium, quas transibat, celeberrimos, multosque eorum deinde amicos habuit et constantia et integritate probatos, Reimarum imprimis Hamburgensem, cui notas ad Cassium Dionem, Reimarianae editioni insertas, exhibuit, quas ipse tamen in volumine Animadversionum ad scriptores Graecos severe castigavit. Tandem Lipsiae substitit, unde fuerat ad Batavos egressus; in qua quidem urbe se reperturum sperabat, quo modo in litteris doctorumque virorum consuetudine acquiesceret, nec vitae praesidia, quibus ipsa illa Lipsia tot alios instruxisset, sibi uni defutura. Sed altera haec spes eum diu frustrata est. Nam medicinae faciendae consilium abiecerat, cum ipse sibi diffideret, nec medicum haberet exercitatum, cuius consiliis et commendatione adiuvaretur. Itaque ut vitam quomodocunque toleraret, molestissimos labores subire coactus est, indices maiorum operum conficere, mendas typographicas emendare, Francogallicos libros ad arbitrium bibliopolarum facere Germanicos. Sed incredibile est, quas interea molestias pertulerit, famem, vigilias, frigus, quae item sibi negaverit, neglectis propemodum omnibus, in quibus spes tuendae vitae atque sanitatis posita est. Itaque per hos annos exiguas roboris reliquias ita exhausit, ut nunquam ad iustam valetudinem rediret. Nihilo minus, ut erat litterarum amantissimus, eodem tempore non modo volumina Animadversionum ad scriptores Graecos inchoavit et Anthologiam Graecam edidit, sed e libris etiam recens editis summam excerpsit inserendam Actis eruditorum, bibliothecae Britannicae aliisque huiusmodi libris, multis item accessionibus Miscellanea Lipsiensia auxit. Duo tamen commoda calamitatem illius temporis minuerunt: alterum, munus professoris Arabicae linguae in academia Lipsiensi cum annuo salario, alterum, Ernestii humanitas, quae integro biennio Reiskium consuetudine et convictu quotidiano ita exhilaravit, ut anxia de vitae necessitatibus sollicitudo evanesceret.

Sic transactis pluribus annis, a senatu Lipsiensi muneri rectoris scholae Nicolaitanae anno duodesexagesimo praefectus est, habuitque ad finem vitae, unde commodius viveret. In eo munere hoc egit, ut discipulos ad facultatem intelligendi scribendique proveheret, nec diutius in eodem loco detineret, sed, multis omissis, quae vel ad minutias referebat, vel perfectioni reservanda iudicabat, ad familiaritatem cum scriptoribus ipsis adduceret, omninoque fide et assiduitate satisfecit officio. Quidquid autem temporis reliqui fuit, id impendit legendo ac scribendo. Nam continuavit Animadversiones ad scriptores Graecos, edidit Theocritum, vertit in vernaculum sermonem Thucydideas contiones et Demosthenem, instituitque inde ab anno sexto et sexagesimo editionem oratorum Graecorum.

Daniel Albertus Wyttenbachius 1746—1820.

A.

EPISTOLA.

CXVIII.

Eruditionis et humanitatis laude florentissimo viro, Chr. Schutzio S. P. D. D. Wyttenbach.

(Dan. Wyttenb. Epist. ex ed. Mahnii fasc. II. p. 32. sqq. — Bentleii, Graevii, Ruhnk., Wyttenb. epist. sel. ed. Kraft. p. 217 sqq.)

Magnum profecto amoris erga me tui documentum mihi dedisti, qui nuntio cladis nostrae excitatus ac de me

sollicitus ad me scripseris, tibique a me rescribi istamque sollicitudinem eximi volueris. Quod quidem ego statim ex tuis litteris fecissem, nisi turbatis rebus meis restituendis ac tabulis veluti e naufragio servandis, servatisque tuendis occupatum et otium et scribendi facultatem adhuc defecisset. Et nunc adeo nondum satis mihi redditus, litterarum officium multis debens, imprimis tibi praesto. Quamquam infandum iubes renovare dolorem calamitatis Leidensis; cuius equidem parva pars fui, et fere beatus prae multorum sorte et casibus, quos ego non, mihi si linguae centum sint oraque centum, narrando referre possim. Sed tamen meam istam partem quia scire cupis, teque tenet tantus amor cognoscere res nostras, incipiam.

Dies erat 12. Ianuarii, ultimus feriarum brumalium; instructo ad crastinas scholas auditorio, recipio me in bibliothecam meam ad Plutarchum; libros et Adversariorum chartas de more per pulpita sub fenestris explico, pergo studere; pransum abiens omnia ita relinquo, ut mox rediturus. Sedeo ad mensam solus cum nepti; inusitatus sonitus et fragor intonat ingens veluti multorum tormentorum una explosorum; vix oculos sustuleram, cum video proximae domus tectum versus nos ruere; patinae, disci, vasa, pocula, fenestrae dissiliunt sponte in grandinem, qua verberamur, dum surgimus fugimusque in viam; huc vicini item affecti et perculsi proruperant, alii alios rogantes, mirantes, caussam ignorantes, quam mox prodebat odor pulveris pyrii et conspectus viciniae inde a centesimo passu ad orientem collapsae, ac lamentationes profugorum ex aedibus quassatis, cum sauciorum, tum aliorum suos ruina obrutos plorantium, iisque apud incolumes auxilium quaerentium, quod publice non ita continuo promi poterat; privatim ex longinquis urbis regionibus petendum erat, in vicinia nemine non laeso, vel suos suaque requirente. Nondum prospexeram ante pedes; video humum stratam et conspersam chartis; agnosco mea Adversaria; scilicet bibliotheca in viam publicam spectabat turboque fulmineus, evulsis fenestris, chartas ex

pulpitis sustulerat, inde partim in viam deiecerat, quas recuperavi, partim in subiacentem canalem merserat, partim vento Zephyro versus orientem ad sedem ac principium ruinae ferendas tradiderat. Hoc sane magno in munere divinae providentiae celebrare debeo, quod is ventus exitiosam ictus vim diversam in regionem vertebat, ubi statio stygiae navis non totos centum et octoginta passus a mea domo erat; unde factum est, ut illo in tractu longinquiores multo aedes corruerint. Mox in domum regredior, scire cupiens, *ὅττι μοι ἐν μεγάροισι ἀγαθόν τε κακόν τε τέτυκται.* Ecce parietes rupti, tectum ablatum, auditorium collapsum; diffractae omnes ianuae, fenestrae, vasa, quidquid eorum non esset durissimae materiae. Incedo per acervos et fragmenta aculeata vitri, testae, lapidis, ligni, ferri, illaesis pedibus, quamvis discalceatus; sic forte eram, cum ad primum casum fugam ex domo foras celerarem. Omnino per totum hoc tempus melius valui, quam antea. Nam cum propter migrandi difficultatem viginti adhuc dies in domo quassata manerem, quae non nisi duo cubicula tuta ab instanti ruina haberet, eaque exposita omni iniuriae caeli, cumque vento, frigore, nive, pluvia, stillicidio vexaremur, nullam valetudinis partem desideravi; cumque interea frequentes terrores obiicerentur propinquorum incendiorum, vicinarum aedium collabentium, fugae ex mea ab aedilibus imperatae, in his aliisque tumultibus satis mihi animus constitit. Et nunc in hortulo suburbano habitans, ex triplici bonorum genere duo potiora, animi et corporis, salva agnosco; in rebus externis desidero quosdam libros, adversaria, magnam supellectilis, vestimenti, instrumenti partem; pecuniae ad centum phillipeos, vel ipso casu ac tumultu amissa vel insidiatorum fraude subrepta; quae omnia, duorum potiorum beneficio bonorum, aut reparentur facile aut certe obruantur.

Haec scripsi, praestantissime Schützi, ut tuae et auctoritati obtemperarem, et benevolentiae responderem. Neque enim profecto, nisi rogatus tuoque erga me amore provocatus, ista talia tibi narrare in animum induxissem, quae

ut magna mihi, ita prae aliorum damnis parva, immo levissima sunt. Homines ruina oppressi et exstincti centum et quinquaginta; in his duo professores, Kluitius et Luzacus; multi quidem servati, sed misere saucii ac mutili; et tamen mirabile est, non plures periisse pro multitudine aedificiorum vel collapsorum, vel diffractorum, quae est ad mille. *Καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα.*

Ego vero, amantissime vir, miror, te nil de novissima vestrarum rerum commutatione scribere, atque ita nostrae calamitatis dolorem communionemque suscepisse, quasi apud vos nihil accidisset. Quod ego silentium, sive a summa humanitate, sive alio e consilio profectum, ita interpretor, vestras res bene recteque se habere. In Germania quae sint litterarum nostrarum studia, quae fiant librorum editiones, dudum est, quod ignoro. Ephemerides, licet conductae, tamen raro ad me perveniunt. Tu imprimis quid agas, vehementer scire cupio. Igitur absoluto Aeschylo Ciceronis Rhetorica edidisti? Illius novissimam tuam editionem mihi ut arcesserent, librariis mandavi. Haec nondum vidi, iisque, quod ais, mittendis per mihi gratum feceris. Commentarium meum in Plutarchi Moralia ab initio ad librum de Virtutibus Mulieris perductum iam ante unum et dimidium annum Oxonienses a me acceperunt, et spero iam iamque editum iri; certum nil scio propter severius interclusum commeatum.

Ita vale, vir amicissime; clarissimos tuos collegas, Wolfium et Niemeyerum, meo nomine saluta. Ad illum hoc ipso tempore scribere instituo, sed meis de rebus breviter, quas, si tanti putabit, ex tuis litteris cognoscet. Tu mihi, nisi molestum sit, propediem respondeas, meque tui amantissimum amare perge. Scr. in suburbano Leidensi d. . . . April. 1807.

P. S. Litteras ad Wolfium v. cl. his ad te datis includere tutius duxi. Tu, ut suae illi reddantur, si curaveris, hoc reliquis tuis erga me beneficiis novum beneficium adieceris.

B.

COMMENTATIONES.

CXIX.

Alexandri Magni imperium ad Darii usque mortem ex veterum historicorum testimoniis enarratur.

(Wyttenb. Bibl. crit. vol. I. p. II. p. 135 sqq.)

Alexander mortuo Philippo rerum potitus est Ol. CXI. ann. I., archonte Pythodemo, non Eveneto, ut Diodorus perhibet. Primae eius bellicae expeditiones nobilitatae sunt victoriis de Triballis, Thracibus, Getis, Autariatis, Taulanteis et Agrianibus, qui ad famam de Philippi morte Macedonicum iugum excutere conabantur. Hanc primam militiam breviter narrant et universe Diodorus et Plutarchus, diligentius peculiariusque Arrianus. Quod vero prodit Iustinus, Alexandrum ex victis regibus, quorum vel ingenium vel auctoritatem timeret, secum captivos abduxisse, aliorum silentio refellitur. Sed Graeci quoque mortuo Philippo defectionem moliebantur. Quorum omnium motus Alexander Thebarum excidio compescuit. Polyaenus quidem Thebas belli dolo captas esse prodit, sed est haec eius scriptoris consuetudo, ut omnia bellica facta ad strategematum rationem velit revocare. Maior est auctoritas Ptolemaei, quem secutus refert Arrianus, Macedones Thebanorum eruptionem reppulisse simulque cum iis fugientibus in urbem pervasisse.

Iu numero captorum caesorumque dissentiunt auctores. Neque maior est inter eos consensus de Atheniensium ad Alexandrum legationibus pacisque cum eo conditionibus. Hoc certum est, Athenienses neque duces suos, neque oratores seu demagogos Alexandro postulanti tradidisse, sed Thebanos quoque perfugientes benigne recepisse eiusque calamitatis caussa publice luctum egisse. Alexander, Thebarum casu Graeciam satis pacatam ratus, cogitationem ab Athenarum

oppugnatione ad Persicum bellum convertit, Quod quidem ut susciperet, non tantum imperii gloriaeque cupiditate incitabatur, sed patris etiam Philippi exemplo, qui idem consilium agitaverat, ac satis certo iudicio de eventu felici eius belli. Nulla fides habenda est Iustino, qui unus prodit, Alexandrum, antequam ad Persicum bellum proficisceretur, novercam eiusque liberos interfecisse. Omnino ante devictos Persas humanitas in eius omnibus factis inerat.

Copias traiecit Hellespontum eodem anno, quo Thebas expugnavit. Ut in certo traiectionis tempore, ita in numero copiarum auctores dissentiunt. Persis praeerat Memnon Rhodius, excellens usu scientiaqne militari vir, eiusque consilio ad Granicum fluvium constiterant, ut ab eius transitu Alexandrum arcerent. Eos Arrianus viginti mille pedites et totidem equites mille fuisse ait; alii numerum augent. Iustinus quidem prorsus a veritate aberrat, cum sexcena millia armatorum ponit. Alexander amnem pervadit hostiumque aciem perfringit ac fugat. Caesorum utrinque numerus ultra fidem et extenuatur et augetur ab historicis. Aristobulus adeo ex Macedonibus triginta pedites et septuaginta equites cecidisse prodit; quod vix credibile est, cum pro Persici ducis scientia, tum pro eiusdem exercitus robore, tum pro loci natura.

Inde Ionia Cariaque recepta Halicarnassum, quam Memnon ipse tuebatur, expugnat et Climacis montis radices, quas mare Pamphylium inundabat, audaci itinere traiicit. Utrumque factum bene et prudenter exponitur ab Arriano. Plerique alii historici Climacis traiectionem ad miraculum extulerunt, quos quidem secutus Iosephus haud dubitavit Israëlitarum per mare Rubrum iter ad similem rationem exigere eique ex Alexandri itinere fidem conciliare.

Deinceps Phrygiam, non etiam, ut Curtius refert, Paphlagoniam ingressus, has regiones, simul et Cappadociam in fidem recepit. Tum in Ciliciam descendit, quam adventu eius reliquit Arsames, Darii praefectus, non quidem, ut Curtio placuit, incensa prius Tarso vastatisqne agris.

Chares quidem prodidit, Alexandrum singulari certamine cum Dario ipso pugnasse ab eoque vulneratum fuisse. Quod falsum esse recte iudicat Plutarchus, cum ipse Alexander nullam eius rei mentionem fecerit in epistola, quam de hac pugna ad Antipatrum scripsit.

Callisthenes, iudice Polybio, ita Macedonicam aciem descripsit, ut se rei militaris plane rudem proderet. Ex Macedonum exercitu circiter trecenos milites cecidisse, in quo fere consentiunt Diodorus, Iustinus et Curtius, vix credibile est. Sed Arrianus cum dicat, ex sola phalange centum et viginti primi ordinis milites caesos esse, facile est ad existimandum, ex reliquis multo plures periisse. Persarum sexcena millia fuisse, consentiunt scriptores, sed quamquam in hoc quoque consentiant, caesa ex iis esse peditum centum millia, equitum decem millia, vix fides iis haberi potest.

Huius victoriae terrore perculsae finitimae gentes Alexandro se dediderunt; una Tyrus eum recipere noluit. Eius obsidionem Arrianus et Curtius suo uterque more narrant, ille vere ac prudenter, hic inepte ac pueriliter. Captivorum enim duo millia Alexandri iussu circum oram maris in cruces fuisse sublata, in quo Curtius haud dissentientem habet Diodorum, cum aliorum, tum Arriani silentio refellitur. Nec Polyaenus audiendus est, qui Tyrum dolo captam prodidit.

Inde Gazam contendit; unus ex historicis Iosephus eum a recto itinere Hierosolymam divertit, ne scilicet eius patria nullo in numero ab Alexandro habita esse videretur. Fabula tamen Iudaica apud haud paucos homines fidem invenit. Gaza oppugnatur, quam tuebatur Betis, homo strenuus.

Hic Curtius iterum tragoedias excitat: primum Alexandrum in singulare certamen cum Arabe milite educit, deinde captum Betim dirum in modum ab Alexandro excarnificari facit, qui scilicet Achillis imitatione hostium ducem, alligatum currui, admissis equis circum muros Gazae

raptasset. Sed reliquis tacentibus quae potest esse Curtii auctoritas? Verumtamen unde nata est haec fabula? Nimirum ex Hegesiae cerebro, cuius de hac re fragmentum in exemplum ineptae orationis proposuit Dionysius Halicarnassensis in libro de structura orationis.

Tum Aegyptum occupat et, iactis Alexandriae fundamentis, ad Ammonis oraculum contendit. Inde redux Alexander contra Darium proficiscitur, qui, ut plerique omnes tradunt scriptores, cum centum myriadibus armatorum appropinquabat; neque abhorret ille numerus a veri similitudine.

Alexander, traiecto Euphrate, nequicquam adversante Mazaeo, Persici equitatus duce, venit Gaugamelam, quae erat vicus proximus urbi Arbelae, quo in loco Darius castra posuerat. Confligitur, Persae funduntur. Curtius, qui in huius pugnae enarratione argute ineptit sibique ipse repugnat, in numero tamen caesorum, quem quadraginta millium ponit, proximus est veritati; contra Macedonum numerus et ab illo et a reliquis scriptoribus ultra fidem minuitur. Ipse adeo Arrianus Persarum triginta myriades, Macedonum centum milites cum mille equis periisse ait.

Mox Babylone Susisque potitus Persepolin contendit. Duae res, quae hoc loco ab historicis nonnullis memorantur, ut falsae sunt repudiandae. Altera est ille Macedonum captivorum et a Dario mutilatorum adventus, altera ipsius Persepolis incendium.

Paullo post Darius interficitur a Besso, nono mense post pugnam Arbelensem. De eius morte Curtius magis ad commiserationem quam ad veritatem scripsisse videtur, cum aliis in rebus, tum quod eum animo finxit clementi et humano, in quo ab eo dissentit et orientalium a maioribus accepta opinio et aliorum scriptorum auctoritas.

CXX.

Adolescentis militis infelicis memoria.

(Dan. Wyttenbachii Philom. lib. III. ed. Amstel. 1817. Wyttenb. Opusc. ed. Lugd. t. II. p. 348. Ejusd. Opusc. sel. ed. Friedem. t. I p. 61 sqq.)

— Diversa est eorum caussa, qui alumni disciplinae nostrae, in eaque egregie versantes, occubuerunt, anteaquam industriae suae publicam laudem tulissent; qui profecto nostra opera et scriptione ab oblivionis iniuria vindicandi sunt. Quo in genere fuit Wassenarius noster. Quem biennio post in similis fati consortium secutus est Davides Catharinus de Haan, Petri filius, viri imprimis inter nostrates spectati, probitate, mercatura, familia, natorum cum felici proventu, tum diligenti institutione. Hi tunc erant numero septem, cum antea octo fuissent; eorumque quattuor deinceps nostris quoque scholis usi sunt, non solum ut assidue commune pensum peragerent, sed etiam ut adiungerent proprium ac domesticum, lectionem principis alicuius scriptoris, a cuius intelligentia deinde ad alios scriptores proficiscerentur. Hoc item alterum iam annum naviter factitabat Davides Catharinus, fratrum quartus ordine, perlectoque Homero versabatur in Xenophonte, ac subinde privatim ad me ventitans et de locis difficilioribus quaerens, valde mihi progressus industriamque suam probabat, cum subito eum bellici impetus turbinis e nostro suorumque amplexu conspectuque abstulit. Annus erat abhinc tertius MDCCCXIII. mensis Aprilis; putabamus res iam ad pacem et apocatastasin spectare, earumque salubritate terrarum orbem, longa calamitate fessum, tandem recreatum iri. Nequicquam; novus delectus, prioribus acrior, per Francicum imperium populosque ei subiectos denuntiatur. Rursus feralis Alecto bellicum insonat,

cornuque recurvo
Tartaream intendit vocem; qua protinus omne
Contremuit nemus, et silvae intonuere profundae,
Et trepidae matres pressere ad pectora natos.

Poscuntur arma, viri, equi, apparatus; novum instituitur genus equitum, *satellites honorarii*, nisi malis eos verbum verbo reddens *custodes honoris* dicere. Legebantur e filiis familiarum ditiorum et honestiorum, qui suum ipsi equum aliaque in militiam adferrent. Quod acerbius etiam peragebatur in praefectura Amstelodamensi et Hagana, cui suberat Leida. Neque designato concedebatur mercede conducere volonem vicarium, qui ipsius loco militaret; quod alibi et alias licebat. Neque certum discrimen observabatur, ut maxime legerentur aut validi corporibus, aut animis feroces, petulantes, protervi, audaces, quales saepe sunt et haberi volunt adolescentes. Domus Haaniana tot filiis florens, cum prioribus e delectibus se expedivisset dandis vicariis, huius postremi acerbitatem effugere non potuit. Designatur Davides Catharinus, inexorabili imperio, optimus adolescens, nec corpore robustus et animo mitis, lenis, placidus; potius Μουσάων ἔρνος quam ὄζος Ἄρηος. Fratres maiores certatim se eius in locum offerre; ille eorum beneficium generoso animo recusare, asseverans, se ipsum suam sortem ferre velle. Nos eum hilarare, militiae oblectamenta memorantes, novorum populorum locorumque cognitionem, proverbium: plurimas belli partes esse inanes, τὰ πολλὰ τοῦ πολέμου κενά; frequens otium reditus ad studia concedens; posse ei obtingere praefectum doctrina politum, Xenophonteae Anabaseos studiosum, quales semper haud paucos fuisse in Francicis exercitibus, tum id, quod tunc ferebatur, honorarios satellites Batavos non aciei et pugnae destinari, sed pro obsidibus servari, equos eorum in supplementum veteranis datum iri; denique notum illud: *Haec olim meminisse iuvabit.* His libenter auditis delectari visus, res ad profectionem componit, libros illos Graecos et unum

alterumque Latinum sarcinis addit; mox ipse ceterique commilitones abducuntur Metim, Lotharingiae caput, ubi exercerentur, donec castris proeliisque idonei fierent. Hic eum prima fefellit spes de praefecto doctrina polito; adiungitur contubernio decani duri et ferocis, cui hoc principium muneris et antiquissimum erat, ut sarcinas tironum inspiceret, ac si quid suo iudicio supervacaneum esset, quod sane multum erat, auferret; in his erant sine dubio libri; abiiciuntur; denique servantur a domino ac domum remittuntur. Ceterum tironum hoc in negotio non una fuit conditio; ista communis, ut ad paucitatem supellectilis redigerentur; famulos haberent nullos; ipsi se, vestimenta sua, equum, instrumentum equestre ac militare totum curarent et purgarent, stabulum everrerent, vilissima quaeque ministeria obirent; quod profecto adolescentibus libere natis, liberaliter educatis, Musarum alumnis e parentum suorumque sinu abreptis, iniquum et indignum accidebat, eorumque animos magis etiam ab huius militiae caussa abalienabat. Finitis indutiis, quae fuerant a Calendis Iuniis ad Idus Augustas, mittuntur Magontiacum, inde ulterius mittendi Lipsiam versus Dresdamque, ubi tunc omnis belli impetus constiterat. Neque tamen eo pervenerunt, sed inter Moenum Saxoniaeque fines haeserunt; sive quod ad belli usum nondum satis exercitati censerentur, sive quod mox Francicus exercitus, inclinatis rebus, reditum ad Rhenum moliretur. Cuius reditus pars fuit proelium ad Hanoviam eiusque urbis incendium exeunte mense Octobri; de quibus ad suos Leidam scripsit. Hae novissimae eius fuere litterae. Brevi enim postea ipse et alii, qui una cum eo ad Magontiacum erant, commilitones, equis ademptis, pedibus Treviros ire iubentur. Quo cum magna cum aerumna per complures pluvios deinceps dies, per itinera illuvie stagnantia et amnibus concisa exundantibus tandem eluctati pervenissent, Haanius continuo in letalem morbum incidit. Ibi tum insignis erga eum fides et cura commilitonum exstitit, qui recusantes in militari valetudinario eum collocare, privatum mundumque

domicilium ei conduxerunt, cognitum probatumque medicum adhibuerunt et omne ministerii genus praestiterunt; at exsuperante atrocia mali et humanam opem respuente, in eorum manibus exspiravit. Hic non praetereunda est Creuzeri nostri benevolentia; qui a nobis rogatus et in Germaniam proficiscenti Heidelberga commendaticias litteras submisit multas, et monitus eum Treviris aegrotare, continuo eius caussa ad Trevirenses scripsit amicos; quamquam sera fuit haec opera, properante fato aegrotantis et commeatu tabellariorum inter utramque Rheni ripam intercluso. Ad nos autem in Bataviam allatus nuntius de illius obitu optimum quemque gravissimo luctu affecit simul et commiseratione boni adolescentis, crudeli sorte et in militiam abrepti et frustrati cum vitae tum reditionis fructu, eiusque praecipuo gaudio, quod mox commilitones passim reduces perceperunt, ut patriam liberam recuperarent, quam servam reliquissent.

CXXI.

De vita et studiis Davidis Ruhnkenii.

(Vita Ruhnkenii a Daniele Wyttenbachio scripta. Ed. C. H. Frotscher. Frib. 1846. p. 9 sqq.)

Decursis Collegii Fridericiani spatiis, domum ad parentes rediit, duodeviginti annos natus. Iam ea erat aetate et scientia, ut graviores disciplinas in maiore amplioreque academiae schola percipere posset. Parentes ei popularium unam academiarum destinabant, Regiomontanam, Halensem, Francofurtoviadrinam. Harum optionem filio faciebat mater, modo theologiae se daret; pater facilior erat, integrum filio relinquens, quam is eligeret disciplinam, modo eam eligeret, qua et laudi et fortunae suae consuleret. Filius eo dudum erat percussus Graecarum Latinarumque litterarum amore, ut aegre ad aliud studium traduci posset; his in perpetuum se mente animoque addixerat; his laudem certe se conse-

cuturum sperabat, fortasse etiam fortunam, aut, si fortunae subsidium assumendum esset, hoc in iurisprudentia reponebat, quippe cuius efficacius uberiusque, quam theologiae, ad antiquarum litterarum scientiam facultatemque adiumentum esse censebat. Igitur, ne impraesentiarum sub ipsum discessum matri adversari videretur, dicit, sibi Graecae imprimis linguae cognitione opus esse, neque se eam recte feliciterque percipere posse, nisi Goettingae in scholis Gesneri. Parentes filio libenter gratificantur putantes, hoc ad theologiam spectare. Nam illa aetate in plerisque aliis Germaniae academiis Graecam linguam non nisi futuri theologi discebant, et hi crassa Minerva, ad solam eamque levem sacrorum librorum intelligentiam; Graecae litterae pars orientalium habebantur, et utrarumque fere unus et idem erat professor.

Itaque domo proficiscitur adolescens eo consilio, ut Goettingam se conferret et per itineris ac diverticuli opportunitatem claras urbes, imprimis illas, quibus Saxonia floret, academias inviseret. Berolinum, patriae regnique caput et regum domicilium, ampla aliis peregrinantibus spectandi materia, non nisi paucos eum dies tenet, quippe quo eum itineris magis necessitas quam cognoscendi cupiditas adduxerat sperantem, se eo rediturum, nunc omni impetu festinantem ad eos locos, qui ipsi aliquod antiquae venustiorisque doctrinae pabulum praeberent. Vicinam ingressus Saxoniam venit Wittebergam. Huius urbis academiam duo tunc ornabant praestantes doctrina viri, Io. Daniel Ritterus, iuris historiaeque omnis peritissimus, et Io. Guilielmus Bergerus, in eloquentia et antiquitate, imprimis Romana, versatissimus, uterque scriptis in publicum editis celebratissimus. Ruhnkenius, qui iam in puerili institutione orationes aliosque Bergeri libros cognovisset magnamque eius admirationem concepisset, eum adit salutatum. Hic adolescentem comiter excipit, eiusque colloquio ac doctrina delectatus Rittero eum conciliat, alterum alterius cognitione dignum, et utrique illa conciliatione gratum se facturum iudicans.

Ergo unum alterumve diem his cum viris sic una fuit, ut vicissim caperentur, et ipse eorum benevolentia ac doctrina, et illi ipsius ingenio et elegantia; ipse abitum de die in diem differre, Wittebergae manere malle, nec tamen audere, ne parentum voluntatem fefellisse videretur; illi, ut maneret, optare, nec tamen suadere velle id, quod, nisi confutata pietatis opinione, suaderi non posset. Tandem ipse Ruhnkenius, rationibus secum agitatis, dubitationem tollit, constituit manere et consilium parentibus probare. Et facile probavit. Nam quod parentibus ostendebat, se id, cuius caussa Goettingam peteret, uberius etiam Wittebergae discere posse, parentes iudicare non poterant; et malebant, filium propius abesse, modo intra duorum spatium annorum domum rediret. Neque vero Ruhnkenio, quod sequeretur, deerat. Nam licet Graecarum institutio litterarum Wittebergae aut nulla, aut nullo in numero esset, claro certe professore careret; earum tamen ea scientia valebant duumviri illi, ut ab iis Ruhnkenius discere posset; et si forte Gesnerus maiore esset scientia, hoc non tantum erat, ut ceteras Wittebergenses opportunitates obrueret, ubi duos habebat doctores et amantes sui et ad familiaritatem conciliatos; quod an item Goettingae inventurus esset in maiore et studiosorum adolescentium numero et professorum occupatione, non sine ratione dubitabat.

CXXII.

(Ibid. p. 12 sqq.)

Interea, quo magis in Latinis litteris aliisque disciplinis progrediebatur, eo magis quotidie animadvertebat, ad eas percipiendas maiore sibi opus esse Graecarum litterarum scientia, quam quantam suo ipse studio et Bergeri Ritterique admonitione consequi posset. Et ex his saepe audiebat, interiorem quidem Graecarum litterarum cognitionem nunc apud solos fere Batavos florere, imprimis Lugduni, ubi

disciplinae quondam a Iosepho Scaligero constitutae nunc summum praeesse virum, Tiberium Hemsterhusium. Accedebat, ut per idem tempus Lipsia Wittebergam excurreret Io. Augustus Ernestus*), tredecim fere annis Ruhnkenio maior, iam edito Cicerone aliisque libris famam doctrinae adeptus, isque, apud Ritterum ei conciliatus, vehementer eum hortaretur ad Graecarum studium litterarum graviter persequendum duce imprimis Hemsterhusio, huic illarum principatum, quamvis ceteroquin Gesneri amantissimus, haud dubie tribuens. Igitur Ruhnkenius incredibili Hemsterhusianae disciplinae cupiditate incensus ei se dare et Lugdunum proficisci constituit, parentes tamen antea consilii sui certiores facere eiusque efficiendi ab iis copiam facultatemque petere, quamquam, quid responsuri essent, facile augurabatur. Nam hi, ab hoc vehementer abhorrentes consilio, redire filium iubent, ut reliquum studiis destinatum tempus in patriarum una academiarum, ut lex erat, transigeret, eoque transacto munus peteret, quo vitae subsidiis prospiceret. Mittunt pecuniam viatico et negotiis ad reditum componendis, necessariam primo, deinde uberiorem, inducti a Bergero ad filii propositum nisi probandum, tamen ferendum. Filius pietati satisfactum et suum sibi potius quam parentum iudicium in re, ubi plus quam illi ipse videret, sequendum existimans, res suas cogitationesque ad profectionem in Bataviam comparat, imprimis confirmatus prudentissimis benevolentissimisque adhortationibus duum-

---

*) „Ita constanter“, inquit Lindemannus, „hoc nomen scribitur a Wyttenbachio, cum scribendum sit *Ernestius*. Audiendus tamen Wolfius, qui Anal. litt. II. pag. 281 haec scripsit: „*Ernestium* semel appellavi olim, cum Tusculanas ederem, non *Ernestum*, qua nominis forma fere utuntur Batavi. Ignorabam ego tum, quod illis fortasse innotuerat, displicuisse ipsi formam priorem, ex qua periculum esset, ne confunderetur cum professore quodam Lipsiensi paene aequali, *Io. Henr. Ernestio*, de quo v. Saxii Nomencl. P. V. p. 622. Nunc, cum illud periculum gloria viri sublatum est, ipse fortasse aequo animo feret morem nostrum. *Frotscher*.

virorum Wittebergensium et Ernesti, affirmantium, nusquam ipsius doctrinae sua praemia defutura, quippe quae, nisi apud Batavos, certe apud Germanos ei parata esse, ubi sua se commendatione effecturos, ut prima quaeque cathedra ei deferretur.

CXXIII.

(Ibid. p. 14 sqq.)

Ruhnkenius Lugdunum proficiscitur comite iuvene quodam nobili ac divite, inde per alias Europae terras peregrinaturo; recto ac brevissimo tendit itinere, nulla iam diverticula captans. Habebat commendaticias litteras Ritteri ad Ruckerum, iureconsultum antecessorem, et Gerardum Meermannum, syndicum Rotterodamensem, Bergeri ad Franciscum Oudendorpium, historiarum et eloquentiae professorem; ad unum Hemsterhusium, quem unum et spectabat et cogitabat, litteras non habebat. Huius amicitiam sua ipse, nulla aliena commendatione, sola doctrinae coniunctione se sibi conciliaturum certo confidebat. Hunc, simul urbem ingressus est, relictis aliis negotiis, continuo adit, Latine alloquitur, narrat, quis et unde sit, ex Ritteri Bergerique disciplina se unice Lugdunum venisse, ut Hemsterhusiana institutione ad Graecarum scientiam litterarum proficeret, eamque redux aliquando in Germania explicaret. Hemsterhusius statim animadvertit, hunc non esse ex vulgari genere studiosum et salutatorem, agnoscit egregiam indolem et ingenii elegantiam, miratur doctrinae, quamvis in adolescente, maturitatem, sermonis Latini inusitatam bonitatem; tum vero amplexatur candorem ingenuum, qui quemvis etiam doctrinae ignarum facile caperet; gaudet, discipulum sibi venisse non tironem et rudem, sed universae iam eruditionis supellectile instructum, cui ad perfectionem non nisi ultima quasi manus et lima deesset. Igitur prima illa congressio, ut solet fieri in studiorum sensuumque similitudine, eam vim habuit, ut dubium esset, uter utrum magis cepisset.

Nam et in Hemsterhusio multa erant, quae homines etiam indoctos ad eum suspiciendum converterent, summa in habitu, vultu, gestu, motu cum comitate gravitas, prudentis orationis, tanquam meditatae, sedatum quoddam flumen. Quo maiore admiratione Ruhnkenium affectum fuisse par est, qui ad hunc viri adspectum maximam de eius doctrina existimationem attulisset. Saepe mihi narravit, se, licet absens de Hemsterhusio summa omnia opinione praecepisset, praesentem omnia uberiora amplioraque deprehendisse; ut, cum absens admirabilem sibi virum informasset, iam praesens aliquem deum videre sibi videretur. Huic igitur similis fieri studebat, hunc dies noctesque sibi proponebat, huius ab ore pendebat, huius per sex deinceps annos scholis assiduam operam navabat, huius et tunc et postea familiares sermones et consuetudinem ita consectatus est, ut, quoad posset, ab eius latere non discederet, nec dictum monitumve e senis ore exiret, quin id exciperet ac fideli memoria reponeret. Ergo non modo eandem, quam in Hemsterhusio mirabatur, doctrinam et ipse consecutus est, sed eam praeterea sua quadam et propria ingenii suavitate auxit et exhilaravit.

CXXIV.

(Ibid. p. 21. sqq.)

Attulerat multarum doctrinarum, iuris, historiarum, antiquitatum, litterarum Graecarum et Latinarum, aliarum, haud contemnendam scientiam, inchoatam puerili institutione, mox Wittebergensi disciplina cultam et locupletatam, ut nullam non in hoc genere cathedram ornare tuerique posset. Cuius scientiae si qui vel dimidiam et multo adeo minorem partem tenent adolescentes popularem auram captantes, ut sibi placent, ut se efferunt, ut alios prae se contemnunt et professorum scholas despiciunt! At Ruhnkenium, o superbum iuvenem! non puduit tam doctum cum adolescentibus tironibus ac paene pueris condiscipulum in Hemster-

husii schola sedere; immo, qui Socratis sibi proposuisset praeceptum, se ipsum nosset ac doctus magis esse quam videri studeret, constituit veluti ignarus omnium rerum et rudis, tanquam novus ac recens, tanquam denuo natus, novam vitam ordiri, studiorum viam rursus ingredi, eius initium a Graecis litteris ducere, earumque scientiae, quasi fundamento, postea Latinarum litterarum ac deinceps aliarum doctrinarum tractationem superstruere. Ita enim et ipse iudicabat et Hemsterhusium iudicantem audiebat: praeposterum esse puerilis institutionis ordinem, quo primum Latinis, deinde Graecis imbuimur litteris; igitur eos, qui semel hunc errorem errassent et tamen ad litterarum principatum contenderent, denuo veluti pueros debere fieri, puerilis institutionis aliam viam ingredi, a Graecis ad Latinas litteras progredi. Hanc viam ingressus bipertitum sibi studiorum pensum constituit: alterum, ut quotidie Hemsterhusium in schola Graecos scriptores ea, qua diximus, critica grammaticaque ratione interpretantem audiret; alterum, ut ipse domi Graecos omnes deinceps legeret scriptores, et primum quidem poëtas, initium ducens a principe ut ingenio, ita aetate, Homero, quamquam antea lecto, nunc melioribus auspiciis ac rite tractando, indeque ad proximum quemque aetate et argumento poëtam, usque ad postremum progrediens, ne Nonno quidem, Silentiario et postremis Byzantinorum neglectis, modo aliquam cum veteris doctrinae elegantia coniunctionem haberent. Et ne studium ad solos poëtas adhaeresceret, neve aliquando, quod multis accidit, ad prosae orationis scriptores traduci nequiret, Herodotum, Thucydidem, Platonem et imprimis Xenophontem eadem, qua poëtas, cura, eodem tempore legebat; et, ne a Latinis litteris desuesceret, Graecorum poëtarum lectioni Latinorum lectionem poëtarum adiungebat; denique ne, quod etiam compluribus evenire solet, Latinae orationis prosae sensum facultatemque lectione poëtarum restingueret, sed integrum servaret, partim iam cautum erat Bergeri disciplina, ubi Cicero ei vehementer placere

coeperat; qui, quibus placet, hi multum iudice Quinctiliano iam profecerunt; partim adhuc etiam cavebat, legendo Cicerone, adhibito iterum Terentio, Nepote et simillimo quoque horum nativa elegantia castaque simplicitate.

Iam si quis quaerat, qua ratione scriptores Graecos legerit, infinitum sit de singulis respondere; universe dixisse sufficiat, Hemsterhusianam eum secutum esse rationem. Ergo primum ad singula verba attendebat, novorum et minus cognitorum vim aperiebat cum ex originis notatione, tum ex usu, quem, quia legendo nondum tenebat, cognoscebat e lexicis, Stephaniano Thesauro, imprimis autem e veteribus, Polluce, Suida, Hesychio, aliis, quibuscum inter lectionem scriptorum familiaritatem contrahebat, et utrorumque comparatione utrisque mutuo lucem medicinamque afferebat; tum vero iudicabat, quamnam e variis significationibus praesens locus vel admitteret vel postularet. Deinde animadvertebat ad compositionem et structuram totius loci, eamque cum investigando sententiae nexu, tum observatione grammaticae rationis constituebat. Locum ita patefactum relegebat aliquoties, antequam ad proximum pergeret. Denique perlectum scriptorem uno et continuo tenore rursus totum relegendo iterabat; unde fiebat, ut se in eius mentem, mores, aetatem, locum quasi insinuaret, formam dicendi, cogitandi, argumentandi animo imprimeret, multa, in quibus antea haesisset, expediret, perperam a se intellecta rectius perspiceret, corrupta emendaret, cum quovis dubio loco facile videret, quam sententiam scripturamque consuetudo et ingenium scriptoris postularet. Ita e grammaticae interpretationis exercitio sponte et nascebantur verissimae emendationes, et ingenium ad criticam facultatem formabatur.

Ac ne forte ingeniosi iuvenes, qui haec legerint, opinione laboris ab ingrediendo eiusdem laudis itinere deterreantur cogitantes, infinitum et humanis, suis certe, viribus maius esse tam multos veterum libros tanta cum cura tractare et tractatos memoria continere, operae pretium est eos admonere. Sane, si unusquisque scriptor tantundem

operae ac laboris postularet, quantum primus, infinitum esset negotium et ita aerumnosum, ut nemo non liberalis ingenii homo aliam quamvis, quam hanc, vitae viam ingredi mallet. Nunc plane Hesiodeum illud fit: τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα. Virtus difficilem et sudoris plenum habet aditum, progressum facilem et iucundum. Uniuscuiusque deinceps scriptoris facilior fit lectio et ad sequentes viam aperit, ac brevi tempore ad eam facultatem pervenitur, ut Graeci libri aeque prompte expediteque intelligantur, quam aut Latini, aut patria adeo lingua scripti. Ad hanc facilitatem multum valet cum ipsa linguae indoles, tum vero plurimum recta progrediundi ratio. Linguae prae ceteris omnibus linguis ea est indoles, ut et singulorum significatio verborum appareat vel ex origine, vel e nexu cuiusque loci, et constructio compositioque dictionum enuntiationumque ad simplicem naturae rationem conformata sit, ut neutra in parte opem lexici tam diu, quam aliis in linguis, desideremus. Recta progrediundi ratio duabus continetur partibus: altera, iusta difficultatis cuiusque aestimatione, altera, annotandi consuetudine. Illa hanc habet vim, ut locis difficilibus nec parum, nec nimium operae tribuamus. Parum tribuimus, cum eos leviter, nec adhibitis iis, de quibus diximus, expediendi instrumentis praeterimus; nimium tribuimus, cum ita ad eos adhaerescimus, ut, nisi penitus expeditis, progredi nolimus; ad quam pertinaciam etiam studiosissimorum hominum industriam, tanquam ad scopulum naufragio, affligi novimus. Fuit mihi familiaris quidam, elegantis homo ingenii, qui hac pertinacia captus in facillimis etiam locis difficultates sibi fingeret et, quod aiunt, nodum in scirpo quaereret, mihique ingenue fateretur, sibi maius videri quam pro humani ingenii viribus vel unum e maioribus quidem, aut Graecis, aut Latinis prosae orationis scriptoribus, accurate legisse. Quid igitur? Laboris molestia ac taedio a continua lectione reiectus ad Latinos adhaesit poëtas; horum item paucissimos legit totos; in reliquis eorum et magis etiam in solutae orationis scriptoribus, maxime vero et omnino in Graecis, desultor

evasit et, ut in proverbio est, canis e Nilo bibit, modo in hoc, modo in alio versus aliquot degustavit; totum ne unum quidem vel minimum perlegit; nunquam ne ad mediocrem quidem Graecae scientiam linguae pervenit. Ruhnkenius institutum iter strenue persequebatur; ad locum perveniens, in quo haereret, si bis terve lectum expedire non posset, ad eum non adhaerescebat; eum relinquebat, notabat, in aliud tempus reponebat, progrediebatur; mox ultro lux oboriebatur, vel simili in sequentibus oblato loco, vel per iteratam totius scriptoris lectionem nexu accuratius perspecto. Si qui superessent loci neutra harum rationum patefacti, de his Hemsterhusium consulebat.

Annotandi consuetudo in eo est posita, ut locum quemque memoratu dignum, item verba dictaque excerpamus, certoque ordine in adversaria referamus. Fructus eius multiplex est: primum, ut inventa ne perire sinamus, sed custodiamus, unde ea, postulante usu, facile expromamus; deinde, ut expeditior faciliorque quotidie fiat progressus, cum in promptu habemus prius animadversa, quibus revocandis eas, quae postea obveniunt, difficultates expediamus; tum, ut similium copiam exemplorum congeramus, quibus inter se comparandis et rerum rationem et linguae usum colligamus, quae observatio inductioque una est verissima in his rebus via naturae et ingenii humani; denique, ut sub manu ac sensim congeratur ac digeratur silva et apparatus omnis interpretationis, emendationis et omnino grammaticae criticaeqne doctrinae. Ruhnkenius cum ex veteribus scriptoribus, tum ex recentioribus eorum interpretibus, criticis, grammaticis, antiquariis omnibusque omnino huius argumenti libris, quos omnes et cognoverat et perlegerat, ex his igitur verba dictionesque et quidquid ad grammaticam rationem pertineret, suis locis adscribebat, Graeca in Scapulae Lexico, Latina in Fabri Thesauro; utriusque exemplum, interiecta quibusvis paginis pura charta ligatum, in hos usus ad manum habebat. Res, quae ad historiam, antiquitates aliasve doctrinas referrentur, in com-

pendio cuiusque argumenti edito, aut, si huiusmodi editum compendium non haberet, in peculiaribus adversariorum libellis annotabat.

CXXV.

(Ibid. p. 38. sq. 54. sq. 58. sqq. 65. sqq.)

Edito Timaeo Ruhnkenius iam ita et doctrina perfectus et doctrinae fama clarus erat, ut accessioni nullus superesse locus videretur. Et iam decem annos in Batavia degerat et cum tantarum laudum commendatione adhuc erat privatus, necdum ad publicum docendi munus provectus. Atqui ita acciderat, ipso partim volente, partim non nolente. Subinde eum veteres amici, Ritterus, Bergerus, Ernestus, per litteras monebant, habere se opportunitatem impetrandi ei muneris professorii in Germania, et, modo ipse vellet, in promptu esse eius muneris adeptionem. Sane accipienda tali conditione melius, quam postea fecit, rationibus suis et futurae rei familiari consuluisset. At ista eum cura nondum tangebat. Multis Batavae terrae suavitatibus captus, et sua ipse natura cum hominum ingeniis mirifice congruens, perpetuo in ea manere constituerat. Principio eum ceperat ille libertatis sensus, qui omnibus non obesae naris hominibus recens in hanc e vicina regione ingressis continuo, veluti quidam sanitatis odor, occurrit, et progressis apparet paullatim per omnes vitae partes civiumque ordines diffusus. Porro vehementer mores Batavorum amabat, quos, ut ipse aiebat, cum sortis, tum indolis felicitas tam a servili potentiorum adulatione quam a superbo inferiorum contemptu aversos, a vanorum item titulorum ambitione alienos fecisset, contra ad generosam et civilem animorum aequalitatem conformasset. Tum vero propter illas, de quibus diximus, dotes facilitatis et candoris, et morum sensuumque cum Batavis congruentiam, his omnibus, summis infimis, iucundus acceptusque erat; hi et hortabantur eum, ut in Batavia maneret, et optabant, ut intra breve tempus in cathedra academica

poneretur. Hemsterhusius ei Lugdunensem alterutram, vel Graecarum vel Latinarum litteraram cathedram dudum destinaverat; sed in neutra succedere poterat Ruhnkenius, manentibus, qui eas tenebant, ipso Hemsterhusio et Oudendorpio. —

Ruhnkenius per quattuor annos obtinuerat provinciam lectoris magna cum industriae doctrinaeque laude, cum Oudendorpius moritur; cui mox veluti de iure et pacto, adiuvante imprimis Hemsterhusio, succedit in ordinaria historiarum et eloquentiae professione eamque mense septembri anni h. s. sexagesimi et primi auspicatur oratione *de doctore umbratico*. — Nunc triplex erat pensum: historia universalis, antiquitates Romanae, auctoris Latini interpretatio, qua fere eloquentiae munus ac nomen censebatur.

In historia tradenda secutus est exemplum Iacobi Perizonii, cum in omni litterarum genere magni viri et insignis earum in hac academia ineunte hoc saeculo doctoris, tum imprimis historia tractanda tradendaque laudem apud intelligentissimos iudices adepti. Hae scholae, ut mos erat inde a longo tempore, tanquam fundamento superstruebantur libello Tursellini, probatissimae quidem illo Latinitatis et orationis, sed in ratione et materia non item probando. Eum sequitur ordinem, ut primum res Iudaicas narret usque ad tempus conditae urbis Romae, deinde Romanas, earumque spatium ac nomen continuet per Caesarum Byzantinorum successiones ad Carolum Magnum, indeque per occidentis Caesares, uti item vocantur, ad novissima tempora. Reliquorum omnium populorum rebus non item suos cuique locos suamque et propriam historiam dat, sed eas non nisi obiter ac subinde attingit; maxime res ecclesiasticas consectatur, ac saepe aniliter ineptit, superstitione iudicium praepediente, ut in illius aetatis theologo et pontificio et Iesuita. Huius rationis errores corrigens Ruhnkenius id agebat, ut historiam, quod nomine profitetur, re ipsa universalem redderet, ex istis angustiis educeret, ineptiis purgaret, principum imperio doctrinaque populorum rebus locupletaret,

caussas conversionum, litterarum progressus, hominum mores notaret. Et profecto nil nisi egregium prodire poterat ab eius viri studio et scriptione, qui omnis historiae genera monumentaque pertractata, stilum ad egregiam orationis facultatem exercitatum, ingenium sensumque optimorum quorumque veterum historicorum quotidiana lectione et consuetudine tritum ac formatum haberet. Hanc scriptionem veluti dictans praelegebat in schola ita, ut frequenter aliquid ad rem praesentem acommodatum subito ac memoriter adderet. Atque harum utilitati ac suavitati scholarum indicio etiam fuit earum frequentia, non quidem illa maxima, sed maior tamen, quam ab illius saeculi perversitate exspectari poterat. Recens tunc inter homines nostros invaluerat error, historiam libris legendis rectius disci, quam audiundis professorum scholis. Hemsterhusius solitus erat historiam reipublicae Batavae enarrare tanta audientium multitudine et approbatione, ut illa non solum historiae, sed et prudentiae civilis institutio haberetur; at, Wagenarii de historia patriae opere edito, paullatim deficientibus discipulorum ad audiendum id, quod, ut quidem putabant, iam editum legere possent, studiis, illae Hemsterhusii scholae vacuae relinquebantur. Error latius serpebat ad historiae universalis institutionem aliasque ad academias. Unus Wesselingius, qui obiit Ruhnkenio recens professore, anno h. s. sexagesimo et quarto, Traiecti se ad vitae finem usque in vetere laudis possessione tutatus est. Tradebat historiam universalem cum auditorum incredibili studio, admiratione, frequentia; memoriter omnia narrabat, subinde per auditorium ambulans, nil in manibus habens, nisi parvam scidulam, in qua nomina quaedam propria hominum ac tempora notata essent; habebat procero cum corpore magnam in habitu, gestu, vultu, voce, gravitatem. Haec admirationem faciebant, multoque plus, quam singularis eius doctrina apud multitudinem vulgumque iuventutis ad excitanda retinendaque eius studia valebant. —

Alterum pensum erat antiquitatum Romanarum. Has

item enarrabat e dictatis magna accurataque diligentia scriptis, quibus nil esset vel ad cognitionem iucundius, vel ad usum praestantius. Nam et universe totius reipublicae imperiique ingenium et caussam, et singularum partium formam, statum, conversiones, ordinum iura et conditionem, magistratuum munera, porro instituta, mores, leges in rebus publicis, privatis, domesticis, civilibus, militaribus, sacris, historica et vere Polybiana ratione explicabat. Deinde singulis locis adhibebat grammaticam criticamque interpretationem, tanquam veri obrussam; ne rei vulgo traditae, aut falsae aut non satis perceptae, vel ipse assentiret, vel assentiri discipulos sineret, sed ab assentiendi eos temeritate cohiberet, et ad eandam iudicii severitatem adsuefaceret. Atque harum rerum materiam non e turbidis recentiorum rivulis, sed e limpidissimis veterum fontibus hauriebat; aut, si quos recentiores advocaret, non eos promiscue e Graeviano Thesauro aut similibus collectionibus promebat; sed eorum, qui postea fuissent, et antiquitatum locos singulares, vel singularibus libris, vel in animadversionibus ad veteres scriptores ab ipsis editos, explicuissent, et accuratissimi cuiusque maxime et rationem ducebat et mentionem faciebat, cum aliorum, tum imprimis Dukeri et Ernesti.

Tertium erat pensum interpretatio Latinorum scriptorum. In qua quomodo versatus sit, facile est ad suspicandum iis, qui eius Animadversiones in Rutilium Lupum et Velleium Paterculum cognoverunt. Ne vero quis putet, harum instar Animadversionem fuisse scholas illas supra plerorumque captum discipulorum. Mirifice fuerunt temperatae et exquisita doctrina et perspicuitate, ut rudibus novitiis et eruditis veteranis aeque pariterque essent accommodatae. Ad locos vel difficiles vel memorabiles dictabat annotationes, breves quidem illas, sed bonae frugis plenas. Rerum interpretatio ducebatur ab historia et antiquitatibus, eadem, qua has tractabat, diligentia; frequens imprimis erat verborum interpretatio, qua Latinae orationis potestas et usus cum in singulis vocibus, tum in dictionibus et compositione,

et grammatica ratione explicaretur et exemplis veterum illustraretur et praeceptis observatisque optimorum recentiorum confirmaretur. Igitur fructuosae erant hae scholae cum ad intelligentiam ipsius auctoris, tum universe ad rerum scientiam, iudicium et facultatem Latinae orationis ac dictionis, cognitionem optimorum interpretum et scriptorum de Latinitate, sensum denique pulchri venustique non vagum et vanum, sed certum et firmum e certo iudicio et accurata grammatica ratione ductum. Auctores Latini, quos in his tractaret scholis, cum alii erant, tum imprimis Terentius, Suetonius, item Cicero et Ovidius, illius ad Familiares Epistolae, huius Heroides. Scholasticorum hominum cum invidia, tum gloriola, discipulis suis persuadentium, eos ex ipsorum disciplina adeo doctos prodire, ut his Ruhnkenii scholis non opus haberent, factum est, ut pauciores, quam quis putaret, ventitarent recentes a puerili institutione tirones, pauciores etiam, qui harum vim praestantiamque scholarum caperent; at veterani et exteri, qui haud infrequentes erant, eas devorabant, nec quidquam fructuosius elegantiusque in hoc genere se usquam audivisse fatebantur. Equidem et ipse iam in Graecis litteris ad eum progressus modum, ut Epistolam Criticam ad Ruhnkenium scripsissem, Lugdunum veniens, ut ex eius et Valckenarii cum consuetudine, tum vero scholis amplius proficerem, ego igitur Terentianas illius scholas magno cum doctrinae fructu audivi, ut tum demum in hoc genere discere mihi viderer, quod in proverbio dicitur, quantum aera distarent lupinis; idque postea narravi saepius aliis, qui easdem scholas quondam alio tempore, sed negligentius usurpassent, nunc demum mihi affirmanti de illarum praestantia sero credentibus et pristinam suam negligentiam dolentibus. Quibus quid dicerem? nisi: *Felices nimium, qui sua bona norunt.* Ruhnkenius sua sorte contentus erat, reputans sortem I. F. Gronovii, Latinarum litterarum recentiore aevo principis, qui in maiore academiae flore ne dimidium quidem discipulorum habuisset numerum, subinde vix decem. Sed tum Cartesiana philosophia om-

nium erga omnes alias disciplinas studia absorbebat et litterarum scholas, ut ita dicam, viduabat. Ruhnkenii tempora minus litteris iniquam habuerunt philosophiam. Nam ad insanum eius amorem deferbuerant Batavorum ingenia, omnem istum furorem in illa Cartesiana febri effuderant, et iam certa quadam iudicii sanitate constiterant. Successerunt deinceps aliae rationes et quasi sectae, Newtoniana, Lockiana, Clarkiana, Leibnitiana, Wolfiana, et, ut fit, novissima quaeque sola vera et per omnem posteritatem dominatura videbatur; nostrorum hominum erga illas lenia fuerunt, nec cum litterarum contemptu coniuncta studia. At apud Germanos immoderatus Wolfiani studii fervor litteras velut tempestatis calamitate afflixit. Fuerunt tamen, qui eas ornarent ac tuerentur, imprimis Gesnerus et Ernestus, hic acer, saepe adeo acrior quam verior Wolfianae rationis reprehensor. Novissima a vetere Regiomontano Ruhnkenii condiscipulo prodita ratio apud nos quidem litteris nondum obfuit, nec, ut speramus, oberit, si quidem priores illae partim maximarum scientiam rerum profiterentur, partim disserendi spinis et verborum novitate minus obstructam haberent cognitionem, partim interpretes nanciscerentur, qui eas ad communem captum intelligentiamque explicarent; quae et secus sunt in hac novissima ratione, et plurimum valent ad studii cum frequentiam, tum diuturnitatem.

CXXVI.

De indole et praestantia historicorum Graecorum.

(Praefat. ex prima edit. Eclogarum historicarum Amstel. 1794. 8. p. 10. sqq. Ed. Lugdun. Tom. I. p. 236. sqq.)

Primo nobis loco est Herodotus, iure cognominatus pater historiae, quippe quam primus et universam complexus est et dicendi facultate ornavit; in quem plane convenit illa apud Homerum Nestoris laus:

τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή.

Narrator dulcis, lenis, candidus, ut fere senem videre videamur post longinquas peregrinationes domi reducem, in solio sedentem, libenter referentem cum quae viderat, tum quae audiverat, ne iis quidem exceptis, quae incredibilia ipse iudicaret. Orationis facultatem suo ipse potius ingenio usuique, quam magistri disciplinae debuisse videtur. Erat tum solutae orationis scriptio nondum magnopere frequens, in Ionia prius a philosophis paullatim, deinde ab historicis culta, Hecataeo, Hellanico, Charone Lampsaceno, Xantho Lydio; quorum lumina suo lumine obscuravit Herodotus, haud secus atque Homerus priorum poëtarum mediocritatem sua ipse divinitate obruerat. Et est sane reliquis etiam in rebus Ὁμηρικώτατος Herodotus, cum descriptione ac distributione operis ad similitudinem epici carminis, tum Ionicae dialecti cognatione in verbis, dictionibus, formis, tum maxime simplici illo antiquitatis candore et colore, aequabiliter per omnes et materiae et orationis partes fuso. Itaque dubium est, Homerine plus ad Herodotum, an Herodoti plus ad Homerum intelligendum valeat lectio; illud non dubium, quin utraque lectio maximo cum fructu ab adolescentibus iungatur.

Secundus est Thucydides, et ipse palmarius, sed diversa ratione. Nam et argumentum habet brevius, res Graecorum, maxime belli Peloponnesii, nec omnia narrat, quae vidit et audivit, sed ea fere, quae memoratu digna et exploratis testibus subductisque rationibus vera iudicavit; raro digrediens a proposito, nec unquam, nisi ipso postulante proposito, eidem brevitati studens in oratione cum verbis, quae singula fere totidem habent sententias, tum compositionequa sententiae magis comprimuntur quam explicantur, sub, inde magis obscurantur quam illustrantur. Sed in hac coartatione ac brevitate mirabile est dictu, quam sit sensibus magnificus et sublimis, quam gravis sententiis, quam certus virtutum vitiorumque aestimator, quam sollers et verus explicator caussarum, eventuum, prudentiae cum civilis,

tum bellicae, quam item sagax consiliorum et intimorum animi recessuum indagator, quam denique efficax rerum gestarum narrator, in quas medias legentis animus abreptus et armorum strepitum audire et caedes certaminaque praesens cernere videtur, et variis deinceps commotionibus agitatur et versatur. Profectus a diversis atque Herodotus disciplinae initiis, non modo dicendi magistrum habuit Antiphontem, sed cogitandi etiam Anaxagoram. De hoc, ut Marcellini exstat auctoritas, ita verisimilis ducitur coniectura ab exemplo Periclis, qui ab Anaxagora item repletus rerum divinarum humanarumque cognitione, eandem ad dicendi usum exercitationemque transtulit. Mihi quidem Thucydides ita se ad Periclis imitationem composuisse videtur, ut, cum scriptum viri nullum exstet, eius eloquentiae formam effigiemque per totum historiae opus expressam posteritati servaret. Ceterum adolescentes, ut non nisi Xenophontea aut Herodotea facilitate et perspicuitate praeparati ad Thucydidem accedent, ita huius lectione exercitati ad nullum non sive scriptorem sive poëtam insigni cum intelligentiae spe et fructu progredientur.

Tertius est, eiusdem palmae socius, Xenophon. Hic orationem ex illa Thucydidis adstricta gravitate ad Herodoteam formam, certe ad facilitatem, suavitatem, perspicuitatem remisit ac relaxavit. Simili usus adolescentiae institutione et eloquentiae et philosophiae magistros habuit clarissimos, eloquentiae Prodicum, philosophiae Socratem, cuius elegantem, popularem, ad omnes vitae partes saluberrimam rationem cum peculiaribus consignavit scriptis, de quibus hic non est, quod dicamus, tum vero in maioribus expressit historicis operibus. Haec tria sunt numero. Cyropaedia, de institutione Cyri maioris, quem non ad historiae fidem, sed in boni regis exemplum Socraticis informavit praeceptis. Anabasis, verissimo historiae nomine appellanda; quippe quae continet Cyri minoris expeditionem, cui ipse Xenophon primum socius interfuit, deinde dux praefuit, et Socraticam disciplinam ad usum actionemque convertens socios a prae-

senti interitu liberavit, iisque per media hostium tela, per locorum regionumque claustra, per infinitas itinerum difficultates reditum in patriam expedivit. Hoc opere nil uberius est exemplis cum agendi, tum dicendi, ad omnes vitae et militaris et civilis locos, conditiones, tempora accommodatis. Cumque Xenophon propriis illis et suis dotibus, praeceptorum veritate et naturali orationis facilitate, ceteris in scriptis alios scriptores superaverit, in Anabasi se ipse superasse videtur. Tertio loco sunt Hellenica, id est rerum Graecarum libri, inde ab exitu historiae Thucydideae ad pugnam Mantineensem, opus item egregium ut Xenophonteum et unicum de hoc argumento ex eadem aetate, sed scriptionis praestantia et ratione, nostro quidem sensu, impar duobus prioribus. Quibus lectis qui ad hoc tertium accedat, quis non singulare quid ac plane divinum exspectet, ut in maiore campo et totius Graeciae luce, tempore aequali et praesente, eodemque magnis et rebus et viris feracissimo? Quis non locos illustres iam e puerili institutione, Nepotis aliorumve lectione cognitos, in hoc opere veluti sede ac fonte quaerat? Horum plerique leviter et sparsim tanguntur, veluti res Alcibiadis, Cononis, Iphicratis, Timothei, Epaminondae, Pelopidae, Leuctrica pugna, aliae. Ipsius narrationis ut in illis duobus operibus est copia et vigor, ita in hoc subinde, nescio quomodo, exilitas et languor, nisi fere, ubi de Agesilao et Spartanis agitur; porro elogia, qualia in Anabasi sunt Cyri et aliorum ducum, hic non item. Quare saepe in eam cogitationem incidi, ut suspicarer, Xenophontem in hoc opere aut mere commentarios consignasse historiae, postea ab ipso copiosius ac diligentius conscribendae, aut nulla sua praecipue animi sententia ductum suscepto Thucydideae historiae continuandae officio defungi voluisse. Nam haec una caussa, quod Spartanis magis quam reliquis Graecis favebat, non satis ad tantam scriptionis diversitatem valuisse videtur. Quidquid eius sit, adeo non a scribendo deterruit alios, ut aequales, aut suppares certe illius aetatis idem factitarent complures; veluti priorem

eiusdem temporis partem ornavit Theopompus, posteriorem Callisthenes, in libris hoc ipso nomine, Hellenica, inscriptis; utramque in magnis Graecae historiae operibus complexi sunt Ephorus et Anaximenes. Sed hi, ut in rebus operae pretium fecerint, orationis quidem Xenophonteae praestantiam non sunt assecuti, quae vel in Hellenicis, et magis etiam in ceteris scriptis, eam habet sanitatem, facilitatem, simplicem nativamque venustatem, ut una omnium maxime conveniat primis adolescentum studiis, qua veluti puri fontis integritate ac salubritate tenera et recentia ingenia imbuantur.

Tres hi, de quibus diximus, ita fuerunt aetate coniuncti, ut prior quisque proximum senior invenem videre potuerit; nam ab Herodoti ortu, qui incidit in Olympiadem LXXIV., annum vero ante vulgarem aeram CDLXXXIV., ad obitum Xenophontis anni numerantur CXXIV. Eorum aetate censetur historicae orationis succus quasi ac sanguis incorruptus et naturalis pulchritudo; quamquam haec fuit magis propria certorum ingeniorum ac disciplinae, quam communis totius aetatis laus. Nam, ut hoc utar, Philistus et Ctesias, aequales Xenophontis, in eiusdem laudis societatem pervenire non potuerunt. Hinc ad Polybium ducenti fere numerantur anni, quo spatio mirum est, quam multi et egregii fuerint historici, doctrinae copia et litterarum varietate triumviris illis minime postponendi, orationis sanitate magis deinceps magisque ab illis degenerantes. Quippe plerique ex rhetorum palaestris fucato potius nitore, quam viribus et sano colore prodierunt et, ut fit, vitiorum plures quam virtutum imitatores habuerunt. Ceterum fuit hoc ingenium saeculi Macedonici, sub Alexandro eiusque successoribus, ut historiae forma in peius mutaretur, materia excoleretur et amplificaretur. Neque enim veteribus se historia continuit finibus, regum populorumque rebus gestis, sed protulit se ad origines et progressus artium ac disciplinarum, atque adeo hominum in illis cum laude versatorum vitas complexa est. Tum nova quasi accessit provincia, gentium regionumque antea ignotarum cognitio. Porro grammatici adiutrices

artes, tanquam instrumenta historiae et omnis doctrinae, procuderunt atque explicuerunt, geographiam, chronologiam, antiquitatis rationem, criticam denique, quae veterum monumentorum et intelligentiam aperiret et fidem auctoritatemque diiudicaret. Ergo innumerabilis exstitit multitudo ut in omni doctrinae genere excellentium hominum, ita clarorum historiae scriptorum. Horum, ut non nisi principum paucos nominemus, partim a rhetorica exercitatione, nondum illa corrupta, profecti sunt, Ephorus, Theopompus, Timaeus, partim a philosophis, princeps ingenio doctrinaque Aristoteles, ac totus fere, qui ab eo fuit, Peripateticorum chorus, Theophrastus, Callisthenes, Dicaearchus, Aristoxenus, Phanias, Agatharchides, partim a grammatica institutione, Callimachus, Eratosthenes, Apollodorus, denique a militiae usu et castris socii Alexandri, Ptolemaeus, Aristobulus, Hecataeus, quorum, ut reliquorum omnium, de historia scriptos libros temporum iniuria ac vetustas absumpsit.

Ergo quartus nobis est, isque proximus triumviris ducentorum intervallo annorum, Polybius, vere appellandus *Graecorum ultimus.* Natus enim et educatus in libera patria, in eadem tuenda regendaque versatus, eiusdem libertati superstes, servavit civilis spiritum libertatis, qui ubi abest, eloquentia inane quid et languidum sonat, ubi adest cum rerum scientia, etiam sine verborum et compositionis delectu, historiae munus explet. Huiusmodi erat Polybii ingenium. Profectus item a philosophia, non illa eloquentiae socia Socratica, aut Academica aut Peripatetica, sed inope ad orationis ornatum Stoica, neque rhetorum scholis exercitatus, neque sua voluntate aut ad veterum historicorum imitationem comparatus, aut scriptionem ipse suam ad grammaticorum praecepta dirigens; adolescens ad rem publicam tractandam delatus, in rebus continuo civilibus ac bellicis versatus, verbis e medio et vulgari consuetudine assumptis, orationis formam contraxit perspicuam quidem, sed minime elegantem. Huc accedebat scholam redolens loquacitas et repetitio eiusdem argumenti in laudanda ubique et inculcanda caussa-

rum observatione. Et tamen illud assecutus est, ut eius lectio posterorum studia teneret ac dictiones passim frequentarentur. Quo magis intelligitur, quanta in eo fuerit rerum ac scientiae praestantia, quae dictionis vilitatem non modo obrueret, sed ad imitandi studium adeo commendaret. Et profecto, si ab orationis dote discesseris, nulla est, quin apud Polybium exstet, historiae virtus. Veri quaerendi et libere profitendi studium acerrimum, eiusdem a falso discernendi cum ex rerum usu, tum ex litterarum scientia et omni doctrina iudicium subtile, factorum eventuumque sagacissima explicatio, e caussis principiisque suis repetita, sive hae caussae continerentur in singulorum ingeniis hominum, sive in cuiusque rei publicae aut dynastiae constitutione et forma, sive in harum mutua ratione et coniunctione universaque orbis terrarum quasi civitate, sive in militari disciplina, sive in caeli natura, sive in locorum situ regionumque proventu et opportunitate, sive in hominum pro varietate locorum et civitatum diversitate, frequentia, animorum indole, corporum robore. In quibus omnibus describendis non solum diligentissimi enarratoris, sed gravissimi auctoris laudem habet. Adeo nullus est ab eo memoratus homo, locus, eventus, quin eius tam certam haberet scientiam, quam si sensibus ipse suis eum cognovisset, nulla vitae naturaeque humanae pars, quin eam et ratione et experientia tractatam ac penitus perspectam habuisse videatur. Itaque effecit, quod sibi proposuerat, historiam vitae magistram, nuntiam veritatis et futurorum ex praeteritis prudentissimam coniectricem. Huius autem talis tantique scriptoris cognitio, quis dubitet, quin degustanda sit adolescentibus, cum ad ipsam hanc percipiendam rerum praestantiam, tum ne nudam eam et ornatus expertem in aliis forte scriptoribus contemnere discant?

A Polybio ad Plutarchum item ducendi fere sunt anni, eaque aetas non minus ac superior similique in genere, historicorum fuit ferax; eademque Latinas litteras et nascentes et florentes et labentes vidit. Sed de Graecis agimus. Hi

fere a grammatica et philosophia ad historiam accesserunt, eruditissimi homines et doctrinae copia abundantes, rerum potius studiosi quam orationis et compositionis, neque tamen huius ad Polybianum usque modum negligentes. Fuit et huius aetatis et sequentium saeculorum usque ad exstincta Iustiniani imperio humaniorum litterarum et philosophiae studia ista indoles et conditio, ut magis in augendis doctrinae copiis, quam retinenda orationis sanitate labor poneretur et proficeretur. Perditos huius aetatis, quae a Polybio ad Plutarchum fuit, historicos, ex ingenti numero nemo facile ignoret, Alexandrum Polyhistorem, Nicolaum Damascenum, Iubam, Athenodorum, Apionem, posteris frequenter laudatos. Eorum, quos fortuna nobis servavit, principes habendi Dionysius Hallicarnassensis, Diodorus Siculus, Strabo, Plutarchus, doctrina egregii, orationis sua quisque dote probandus, Dionysius etiam antiquis quam aequalibus propior habendus.

Ultimus igitur, cuius in hoc delectu rationem haberemus, fuit Plutarchus. Hic natus in Graecia saeculo primo nostrae aerae, eoque fere medio, maxime sub Traiano inclaruit, republica post priorum temporum tristitiam recreata. Sed quocunque sub imperio, quacunque in civitate natus fuisset, eos ei natura indiderat animi nervos, quibus ipse se ad antiquum et germanum Graeciae spiritum erigeret. Adeo illud *Ἑλληνικόν* in scriptis eius spirat, illa bona, quibus veteres Graecos censemus, iudicii sanitas, decori honestique sensus, humanitas, amor erga cives, benevolentia erga omnes, de iisdem bene merendi studium indefessum erudiendis ingeniis, formandis moribus, virtutibus commendandis, vitiis sanandis, erroribus expellendis atque exstirpandis. Accedebat excellens doctrina, cum philosophiae ex Platonica schola, cuius alumnum se profitebatur, et reliquarum, unde optima quaeque delibabat, cognitione, tum historiae, litterarum omnis generis et artium, ex infinita librorum lectione. Itaque cum duplex argumentum scripto mandaverit, alterum philosophiae, alterum historiae, quandoquidem recte in historico genere censentur vitae, difficile dictu est, utrum magis

historiam philosophia corroboraverit, an philosophiam historia illustraverit, an utramque litterarum suavitate exhilaraverit. Hoc quidem vere mihi videor affirmare, egregium illud bonum, quod ex triplicis huius dotis coniunctione exsistit, cuius boni perfectionem adhuc magis cogitatione informavimus, quam re et experiundo cognovimus, illud igitur bonum in uno ex antiquis plurimum exstare Plutarcho, et perfecte adeo exstiturum fuisse, si ad hanc rerum praestantiam aequalis aut in promptu posita accessisset orationis cum elegantia perspicuitas. Sed perspicuitatis absentia scu obscuritas cum ex iis sit rebus, quae non per se sunt, sed ad alias referuntur, neque tam in scribente insit, quam ab ignorantia legentis afferatur, eo magis faciendum est, ut ad Plutarchi intelligentiam aditus adolescentibus mature aperiatur. Ita intelligentia usu exercitioque confirmata nullam vel perspicuitatem vel elegantiam desiderabit; quae non tam desunt, quam in rerum praestantia altius abditae inexercitatos latent. Neque tamen hoc ita accipiendum, ac si adolescentes rudes ad Plutarchi lectionem adduci velimus, immo hunc, ut Thucydidem et Polybium, provectioribus destinavimus, initia ab Herodoto et Xenophonte ducenda iudicamus.

Fridericus Augustus Wolfius 1759—1824.

CXXVII.

De manualibus scriptorum veterum editionibus.

(Ex epist. F. A. Wolfii ad Frid. Volg. Reizium, praemissa editioni Demosth. orat. adversus Leptinem. Halis Saxonum 1789. p. XII. sqq.)

In optatis saepe fuit tum aliis auctoritate praestantibus viris, tum etiam tibi, ut libri veterum ederentur habili forma, commentariorum mole non onusti, omninoque tali

habitu, ut emere eos valerent non nimis nummati, et vero tractare vellent ii, qui magna volumina exhorrescerent, vel ipsos tantum scriptores quaererent, non eorum enarratores, et, uti tu in Herodoto tuo dicis, in altum philologiae evehi nollent. Cui desiderio in Latinis iam potest satisfactum videri multorum curis, cum prostent ex eo genere plurimi et optimi, et parvo. Quod idem ut aliquando contingat in Graecis, quam multa agenda erunt, quot quam ponderosa volumina in artum cogenda, quot etiam, quae, si forte hodie reperiuntur, propter raritatem auro veneunt, typis repetenda et frequentanda! ne de iis libris loquar, qui, cum semel modo vel iterum prelum subierint, prorsus evanuerunt, et quasi a morte erunt revocandi. In hoc toto genere sese elaborare velle mihi abhinc biennium narravit redemptor huius libri, meque auctorem rei et curatorem expetiit. Ego vero cupide hanc occasionem bonas litteras adiuvandi amplexus, hortari hominem, consilium offirmare, meam operam in designandis auctoribus polliceri, universam rem, quantum per alias curas liceret, monendo et cavendo regundam recipere. Sed mire quam lentum negotium fuit, obiectis undique impedimentis, quae commemorare nihil attinet. Imprimis parandae typographo fuerunt novae litterarum formae, quae oculis lectorum propter exilitatem non infestae essent, et sua quadam elegantia placerent, aliaque item multa, quae ad opus feliciter faciendum necesse esse viderentur. Quid quaeris? omnia prompta, confecta, expedita sunt. Iam auspicandi caussa, utque ne auctoritatem meam publice defugere viderer, hunc libellum tanquam praecursorem quendam praemisi. —

Quod consilium ut tibi approbem, Reizi, cui mea probari omnia vehementer cupio, tum ut ipsum te, si possim, in quandam societatem negotii traham, singulatim omnem tibi aperiam rationem, sicut designata a me est et instituta. Tui iudicii esto, utrum inde pro laboris ac sumptus magnitudine satis fructus his artibus nostris rediturum videatur; sin minus, amabo te, novis consiliis me adiuva.

Eorum igitur, qui manuales, quas vocant, editiones veterum quaerunt, ordines quidem videmus diversos esse, non tamen ita diverso ipso desiderio. Imprimis multi sunt magistri scholarum et antiquarum literarum studiosi, qui pervelint modico pretio sibi parare auctores, quotquot exstant, ne, cum eo ab aliis scriptoribus aut in lectionibus publicis remittantur, ad thesaurum quendam defossum amandari sibi videantur. Saepe id cogito, apud auditores testem citans veterum aliquem illorum, qui vulgo in manibus non sunt, quam durum et molestum discendi cupidis esse debeat remitti ad libros, quos in maxima adeundi voluntate non magis adire possint, quam Cratinum aut Chrysippum aut Theopompum aliosve, qui sunt in deperditis. Volunt autem eos adire non commentariorum causa, sed ut suis ipsi oculis aut rerum, quas legerunt, argumenta in fonte inspiciant, aut, quod a magistris audierunt notatum, privatim pro sua facultate explorent. Et sane nihil studiosis fructuosius est, quam mature discere in talibus sibi credere, non ex aliena fide pendere. Hoc vero illi coguntur saepissime, praesertim in Graecis, si paucos, qui saepius ad usus scholarum editi sunt, exceperis. Etiam magis nos miseret tot bonorum et strenuorum magistrorum, qui plerumque aegerrime carent iis veterum operibus, quae usum vel maxime necessarium habent. Nam talia, sicubi adhuc in taberna latent, aut offeruntur in auctionibus, enormi pretio cupiditatem facile avertunt. Etenim artem, quam isti exercent, nosti, Reizi, quam parum pecuniosa sit, et quam vere id hodieque locum habeat, quod olim dixit M. Seneca, parvas mercedes accipere eos, qui hermeneumata docerent. Nostra vero aetate multo magis crumenam eorum exhauriunt tot aliae res et instrumenta disciplinae, quando quidem praeter initia humanitatis in gymnasiis artem technologicam, politicam, medicam docent, et iam periculum est, ne denique et tacticam et veterinariam. Quidquid erit, utrique classi, in litteris antiquitatis vel docendis vel discendis occupatae, vix aliter consuli hac

parte poterit, quam curandis antiquorum scriptorum editionibus, aptis ad quotidianum usum, minimo parabilibus, nulla omnino aut brevi annotatione instructis, modo correctis ad criticam rationem, aut, si id minus liceat, ad exemplaria, quae nunc habentur optima, summo studio impressis emendatissime.

Verum praeter hos utrosque alii, ni fallor, multi reperiuntur in aliis classibus popularium, eodem affecti desiderio. Nam, ut ne eos memorem, qui veteribus illis pro tapetibus utuntur, et editiones eorum coëmunt propter externam formam et nitorem, sunt, quos, etsi aliis studiis et artibus addictos, iuvat tamen nonnunquam antiquum scriptorem evolvere, sive relaxandi animi caussa, seu ut locos passim excitatos cognoscant, seu ut in scriptis suis ipsi laudent. Neque etiam plane apud nos desunt antiquitatis amatores, qui, satis ab utraque lingua instructi, otium suum his auctoribus legendis impendant. Sed hi fere, quamvis rem gnaviter agant, tamen non tam operosae eruditionis, quam ingenii caussa legunt, parum curiosi, quid singulis locis doctus aliquis interpres adscripserit. Immo gratius horum multis erit nuda tractare veterum opera, praesertim ea, in quibus maxime ars scribendi spectatur, sicuti nudum contemplari amant Apollinem Vaticanum, nullis commentariorum velamentis obvolutum. Quodsi quando necesse habuerint ad interpretem recurrere, scient illi, ubi sitim restinguant. Sed interpres cum semel legatur a plerisque, auctores ipsi saepius repetantur, opus est editionibus ad usus commoditatem aptatis, in quibus repetita illa lectio et meditatio sine molestia institui queat. Adeo vota plerorumque, opinor, huc redeunt, ut parabilis suppetat copia scriptorum, quam diligens imprimis et nitida descriptio textuum commendet. Quodsi quid bonae animadversionis additum erit, haud dubie id homines de schola in lucro ponent; verum illud omnes curant, desiderant, urgent praeter cetera, neque ii spernent ipsi, quorum plutei maioribus editionibus abundant, quas tamen nec legentes in lectulo

tractare, nec viarum comites circumferre possunt. Esset ergo, quod sibi multi gratularentur, seque ad studium harum litterarum nonnihil adiutos putarent, si quis nihil aliud quam scriptores Graecos Graece imprimendos curasset. Ac forsan etiam rationibus plurium conduceret omnem rem his finibus coërceri. — Itaque omnino ad emendatam descriptionem textuum omne institutum a me deductum est, idque in eo opus praecipue navabo. Quam ob rem tum quoque, ubi annotatio accedet, scriptoris verba dabimus separatim.

CXXVIII.

De Friderico Volgango Reizio.

(Epistola Fr. Aug. Wolfii ad Casp. Danssium Villoisonum praemissa repet. edit. libri Reiziani de accentus inclinatione Lip. 1791.)

Cum tu, vir celeberrime, nuper per litteras mecum iacturam deleres, quam in Frid. Volg. Reizio et amici eius fecimus et omnis civitas litteraria, tum alia desiderabas in illo erepta, tum maxime ingenii ac studii acerrimi copias, quas ad scriptores a se edi coeptos erat allaturus, si longiorem ei Deus vitam concessisset. Nempe nostra caussa et communium litterarum hoc conqueri decet, non item ipsius caussa. Etsi enim ille vix tantum scripsit, quantum fertilior quispiam facile in dimidio minore aetate fundat, haudquaquam tamen fama eius ambigua est apud eos, qui doctrinam eruditorum hominum alia re quam voluminum, quae quisque protulit, numero et magnitudine metiuntur. Adeo fere de Reizio nostro valet id, quod de Persio poëta dictum est: Multum verae gloriae meruit paucis libellis. De gloria autem dici vix potest, quam in tota vita nihil laboraverit; quae prima caussa erat, cur tam raro scriberet. Alteram quandam tute ipse, vir illustris, saepe es expertus in epistolarum commercio. Nimius calumniator sui omnia lentius et remissius tractabat, rebus vel minimis, quas

aliud agendo facimus, propriam diligentiam deberi putans; nihil admittens, in quo ullus dubitationis scrupulus residere videretur. Itaque cum legeret aliquid, aut scriberet, aut cogitaret denique, crebro de via deflectebat, libros evolvens plures etiam contigui argumenti, qui ad alia eum ex aliis traherent, ut nonnunquam viae suae prorsus oblitus in deverticulis habitaret. His accessit, quae ipsi horas a munere vacuas imprimis artabat, voluntas nimis obvia cuique et inexpugnabile studium quemlibet iuvandi consilio, praesidio, opibus, omni officiorum genere. Hanc natura insitam facilitatem, quamvis improbi ingratique certatim contenderent, ut expugnarent, neque ipse, si forte pressus, non leniter coërcendam putaret; nam videbat, si omnibus omnia dare vellet, interdum iis, quibus maxime cuperet, ne quod deberet quidem, dare se posse; natura tamen, apud illum hac una in re rationi adversans, victrix semper redibat. Ita non modo publice docebat gratis; hoc enim in academiis nostris exspectatur, non laudatur; sed facile patiebatur privatim sibi imponi, quae non essent academici doctoris, praesertim tam eximii, et qui elimandis potius quam erudiendis ingeniis idoneus esset. Non pigebat eum proposita a studiosis pericula Latinitatis manu sua refingere; epistolas, dissertationes, indices librorum, carmina scribere nomine aliorum; desudare in corrigendis speciminum typographicorum vitiis, in quod pistrinum saepe exteri non verebantur eum vocare, si quid in Lipsiensi libraria ederent, ita rati, etiam alii generi vitiorum facilem correctorem affore. Adeo occupatus in alienis sua plerumque agere non poterat. Neque tamen unquam hanc immodicae facilitatis suae sortem querebatur, nisi forte inter amicos et coactus; nedum ut quidquam de tali re palam iactarit. Nunquam, mihi crede, animam terra tulit candidiorem, nunquam minus cupidam aut minus prudentem sibi.

At nolebam nunc laudatissimi viri laudes persequi, nec mores describere; neutro apud te est opus, Villoisoni, qui eum noras et mirifice amabas; ut alii autem tantae

virtutis imaginem intueantur, efficiet is, e quo descriptam eius vitam exspectamus. Volebam ego tantum significare, quo tandem pacto tam industrius homo ac laboriosus, anno aetatis quinquagesimo septimo vita cedens tam pauca nobis perfecta reliquerit. Nam Herodoti, cuius priorem partem textus iam a. 1778. profligarat, sperans tum, quod viae confectum esset et quod restaret, comparandum non esse, Herodoti, inquam, nec alteram partem aptavit ad editionem, nec Latinae translationis ne litteram quidem neque animadversiones et reliqua in operis titulo promissa elaboravit. Reperta quidem sunt in adversariis eius nonulla, quae eo pertineant, sed leviter, ut fit, commentata inter ipsam lectionem, et de rebus chronologicis plura quam de criticis aut grammaticis. Servantur haec una cum Porti Lexico Ionico passim in schedis intertextis correcto auctoque eius usibus, si quis ei in edendo historico succedere voluerit. Quamquam multa horum interim occupata sunt a Larchero nostro, viro eruditissimo, cuius chronologicae rationes crebro ad amussim congruunt cum Reizianis. Sed ut ille vixisset multo longius, non puto futurum fuisse, ut unquam ad laborem Herodoteum rediret, quem septem amplius annos intermiserat. Nam valetudo infirmior et auctae occupationes iam eum non sinebant longas spes et consilia inire. Quaerebat pensa breviora unique conspectui patentia, quae requiem potius labori quam laborem promittere viderentur. Sic delapsus ad Aristotelis Artem Poëticam in hoc libello otium quattuor annorum consumpsit emendando, vertendo, interpretando. Et emendationis quidem fructus publice constitit prodita accuratissima contextus recensione; sed versionem, quod unum de suo subiungere volebat, non absolvit. Quam vero partem reliquit, etsi in liturario, ea tam Latina est simulque tam fida tamque rigide servans stilum Aristoteleum, ut ipsum philosophum, si Latine scripsisset, haud aliter scribere potuisse fatearis. Versionem hanc et multorum locorum explicationes, quas praelectionum caussa in editionis manualis margines et in singulares quasdam chartas coniecerat,

reposui atque, ne quid inde periret, operam dedi. Etenim cum morti proximum inviserem diceretque pro modestia sua vir optimus, nihil in vita operae pretium a se factum, multa animo designata iacere, nihil perfectum, nominatim Aristotelem sibi manibus excussum, hac ego opportunitate usus petii, ut, quod quocunque modo in illum scripsisset, auditori cuipiam aut etiam mihi edendum mandaret. In quo mihi plane morem gessit et omnem rem mei fecit arbitrii, si quid ex farragine ista, quam sibi fecisset, extundere possem, utrum id premendum putarem, an meo periculo evulgandum.

Noli quaerere, vir amicissime, quid statim primis chartis excussis consilii ceperim. Edidissem ea iam dudum, nisi iusta editio, in ultima praesertim parte libelli, nova cura indigeret, a qua adhuc cursus studiorum meorum me avertebat. Interea adhuc per horas subsicivas me tenuit monumentum Reizii aliud, in quo plura, quam alibi usquam, doctrinae et acuminis sui specimina dedit. Est illud Plauti exemplar ex Gronoviana editione Lipsiae repetita, quod ex eius librorum auctione emptum possideo. Rudentem Plautinam ab eo editam cognoris, simul noris, quam dotem illud habeat, cum dixero, eadem prope cura plerasque fabulas in margine exemplaris manu eius emendatas esse. Multae quidem harum emendationum e priscorum librorum comparatione ductae sunt, sed acerrimo iudicio ductae, a viro rei metricae peritissimo; aliae haud pauciores ingenio ipsius repertae; denique omnes tam diligenti calamo exaratae, ut facile coniicias, non sibi soli haec eum scripsisse, sed, quod olim Bentleius in Notis ad Ciceronis Tusculanas Davisio collatis promiserat, animo agitasse, ut totum Plautum ad criticas et metricas leges correctum daret et restitutum. Gaudebis igitur mecum, quod hic quoque non unius anni labor, auctionariae fortunae a me ereptus, aliquando et litteris proderit et memoriam viri novo decore illustrabit. Utinam modo ne reliquae editiones poetae, quas item, sed multo parcius, sua manu notarat, dispersae essent parva utilitate emptorum, in publicum nulla!

Restat in praesenti, ut Reizium cognoscamus ex iis, quibus extrema manus eius accessit, indeque excellentis et ad grammaticam disciplinam nati ingenii formam complectamur. In iis praecipuum quendam locum tenent tria scripta, in quibus doctrinam de accentus Graeci depositione et retractione persecutus est. Quae scripta quod apud librarios interdum requiri scirem, de eorum repetitione paranda iam tum cogitabam, cum tu ad eam me hortabaris. Sed tanto hortatore et auctore adhuc egebam. Nam sunt apud nos Germanos hodie sapientes quidam, quibus omne hoc studium antiquarum artium leve contemnendumque et parum δημωφελὲς videtur, maxime grammaticum illud, quod ad syllabas et litteras rimandas se demittit. Quo me isti vultu exciperent, si nemine iubente amici gloriae consulentem scilicet vidissent talibus scriptis repetendis, quae etiam infra litterarum elementa descendunt? Nec adeo desunt homines docti, qui more primum ex Britannia huc delato ne utendum quidem notis accentuum putant, cum quid Graece scribunt. His imprimis verebar ne huiusmodi praeceptio, quo diligentior et plenior esset, hoc magis videri deberet ridicula esse, aut certe supervacanea. Quid opponi possit horum opinioni, ineptus essem, si tibi, vir eruditissime, narrare vellem; quamquam tu ipse in Iliade tua, aeterno tuorum in has litteras meritorum monumento, novum morem secutus es. At fecisti tu quidem caussa adductus satis gravi, qua se ii male defendant, qui, dum libri sui describuntur, prelis assident, nec in Graecia peregrinantur. Verum utut est, res, quae adhuc a plerisque fit, et vero antiquitatis satis longa consuetudine munitur, necesse est recte et ordine fiat, atque remotis, quae in ea occurrunt, difficultatibus. Id docuit in ea parte, quam pertractavit, doctorum omnium et tuo consensu Reizius tanto ordine, tanta diligentia, perspicuitate, sermonis etiam elegantia, ut simili scriptionis generi exemplum dederit, quale antea adesset nullum.

CXXIX.

De institutionis pretio Graecis sophistis ab auditoribus dato.

(Frid. Aug. Wolfii Miscellan. max. partem litterar. p. 43 sqq.)

In Graecia olim cum primi sophistae pretium institutionis a discipulis poscerent, Socrates autem familiaribus nulla mercede sui copiam impertiret, utrimque hac de re acriter disputatum fuit. Eius disputationis specimen habemus adhuc in libris Xenophontis iis, quibus memorabiles magistri sui sermones complexus est. Nam Antiphon haruspex, sophista, calumniatur ibi, merces viles seu reprobas esse videri, quas quis gratuito protrudat; Socrate contra dicente, doctrinam suam omne pretium, quod pecunia rependi possit, longe superare (Mem. Socr. I. 6.) Sed ea quaestio hodie haud sane quemquam sollicitet cogitantem, quam diversa omnino nunc publicae institutionis ratio sit ab illa, quae Socratis tempore viguit. Atque etiam huius cavillationibus Seneca iam satisfecissc videri debet, qui bene vidit, liberalium artium doctoribus non rei ipsius seu meriti, quippe inaestimabilis, sed operae et occupationis mercedem solvi (de Benef. VI, 15.) Illud autem institutum sophistarum fuerunt iam olim, qui mire laudarent atque discentibus fructuosissimum dicerent. Cupidius enim vulgo quaeri res, quae sumptu parentur, quam eas, quae nihilo constent.

Iam quaeret fortasse quispiam vestrum, quale pretium disciplinae constitutum fuerit a primis philosophiae et eloquentiae magistris. Agite ergo, operam nobis date narrantibus, ut cognoscatis, quam prospera mercatura doctrinarum et artium in academiis nostris vobis proposita sit. Etenim is, qui sapientiam primus venalem circumtulisse dicitur, Protagoras Abderites, ab auditoribus non minus quam centum minas exigebat, quae ad nostrae pecuniae rationes revocatae efficiunt fere 2000 imperial. Hoc cum alii

testantur, tum Quintilianus, ubi narrat, Euathlum eum, cuius lis cum Protagora satis celebris est, ab hoc magistro artem dicendi didicisse decem millibus denariorum (Inst. Orat. III. 1.) Hanc eandem summam Zenoni quoque datam esse a discipulis, testimonio Platonis scimus (Alcib. I. p. 218. A. Steph.) Istorum autem virorum exemplum statim, ut fit, plures secuti sunt, in his maxime Leontinus Gorgias, centum et ipse minis docens. Atque ea merces, quae veremur ne audita multos vestrum terrore percutiat, usitata temporibus putari debet Socratis. Nam quod Euenum Parium apud Platonem contentum legimus fuisse quinque minis, id homini proprium ut credamus, ipsa Socratis urbana cavillatio suadet (Plat. Apol. Socr. p. 20. B.) Verum mox post mortem Socratis, afflicta re publica Atheniensium, cum iam plures hanc docendi provinciam invasissent, salubrius pretium inductum videmus. Quippe Isocrates mille drachmarum didactron accepit, si fides habenda lepidae narrationi, quae obvia est apud Pseudoplutarchum de Vit. X Oratt. Nempe ad rhetorem iuvenis dicitur accessisse Demosthenes, quoniam toti didactro solvendo non esset, CC drachmas offerens, ut quintam tantum partem artis oratoriae disceret. At ille, Non frustatim, dixit, concidimus artem, sed facimus, ut ii, qui bonos pisces in foro vendunt totos. Ita et ipse tibi, si discere cupis, universam artem tradam. — Docuerunt tum temporis eodem pretio et alii, ita tamen, ut id pro varia discipulorum fortuna et conditione modo auxisse videantur, modo minuisse. Ceterum summas istas omnes pro institutionis cursu, quem dicimus, universo, easque a singulis auditoribus solutas putate. Itaque non mirum est, maximas saepe opes docendo sibi parasse sophistas, cuius rei plura habemus testimonia apud Platonem (Vid. v. c. Menon. p. 91. seq. Hipp. mai. p. 282.). Fuerunt enim inter eos multi, qui doctrinam non erubescerent ad illiberalem quaestum referre, ut etiam nummos ab auditoribus repraesentatos undique curiose versarent, atque adeo statera apposita examinarent.

CXXX.

Censura Herodiani.

(Fr. Aug. Wolfii narratio de Herodiano et libro eius, praefixa editis ab illo Herodiano historiis. Hal. 1792. p. XXXI. sq., XXXVI. sqq., p. XLIII sqq., p. L. sq.)

Quae de vita Herodiani tradi possint, perpauca sunt, neque ea tam ex certis ducta testimoniis, quam ex coniectura, quae tenuiora rerum vestigia persequitur. Nemo veterum commemoravit, quo is anno natus, quo mortuus sit, nec de genere eius, aut patria, aut aliis denique rebus quidquam proditum est, Quo tamen tractu temporis vixerit, ipse significat. Nam ex prooemio, ubi ab excessu Marci res 60 annorum, vivo se et partim teste gestas, tradere sibi propositum esse scribit, comparandaque extrema parte libri octavi, ubi Maximi et Balbini nece relata Gordiani nepotis primordia attingit, veri simile fit, eum sub M. Aurelii principatu natum esse, imperante autem Gordiano III. historiam composuisse. Quem postremum Gordianorum si exstinctum vidisset, priusquam ista extrema scriberet, videtur breve imperium eius additurus, aut certe de eo paullo aliter locuturus fuisse. At de illis 60 annis, quos in prooemio dicit in plures principes, quam ratio temporum ferret, divisos esse, non plane dicit, tantundem spatii se tractandum sumpsisse, et in isto numero satis longam dominationem Commodi omittere potuit; contra in exitu libri secundi diserte 70 annorum decursum sibi praefinitum affirmat. Sed de priore loco sic sentio: in eo non, quid singula verba valeant, verum quo tenor et series sententiarum ducat, spectari oportere, praesertim cum re ipsa liber illud spatium 60 annorum non excedat. —

Verum talis scriptoris res et natales nosse non aeque necessarium est, atque ingenii servatas nobis reliquias. Quamobrem paullo longiores erimus in Herodiani libro

describendo et iudicando. Titulus ei in plerisque codicibus hicce praescribitur: Ἡρωδιανοῦ τῆς μετὰ Μάρκον βασιλείας ἱστοριῶν βιβλία ὀκτώ. Duae editiones omittunt vocabulum ἱστοριῶν, quod tamen auctoris manu additum censeo; minus id praestare ausim de verbis τῆς μετὰ Μ. βασιλείας. Opus in octo libros divisum ab ipso esse, et exordia et clausulae librorum fidem faciunt. Atque omnino cum antiquiorum florente Graecia scriptorum opera fere non ab ipsis, sed a criticis demum et litteratoribus in partes dissecta videantur, posteriores minime est dubium quin id in longioribus scriptis suis ipsi fecerint.

Orditur Herodianus, rebus Marci praetermissis tanquam occupata materia, a principis philosophi fine, pertextaque historia successorum, Commodi, Pertinacis, Didii Iuliani, Severi eiusque aemulorum, tum filiorum, Caracallae et Getae, tum Macrini, Elagabali, Alexandri, Maximini, duorum Gordianorum, Pupieni et Balbini, in Gordiani denique tertii initiis filum abrumpit. Quorum omnium si tempora accurate numeres, liber, annos 59 complectitur, inde ab ineunte a. C. 180. usque ad medium a. 238. deductus. Hoc tam brevi orbe annorum tanta inclusa est copia et varietas rerum et eventuum, tot vicissitudines factae sunt imperii sub multis sceleratissimis, paucis bonis principibus, et qui, uno excepto Severo, omnes violentam mortem oppetierunt, ut eorum vel incondite scripta historia non possit non tenere animos legentium. Namque quieta contemplatio alienorum malorum magnorumque casuum, praesertim generosi populi, eandem delectationem habet, quam scenae tragicae miracula. Quamquam hic potius comicotragoedia quaedam agitur, omnes nervos animi simul intendens, modo metum movens, modo admirationem, modo odium et horrorem; nec a foedo spectaculo ludus abest et iocus. Praedicabant etiam duobus abhinc saeculis, ab Herodiano speculum proponi etiamnunc regnorum et aularnm; id quod in illis turbis populorum et rerum publicarum et depravatissimis moribus nobilium quodam iure dici poterat. Hodie morum et institutorum mutatio,

lux religionis atque omnis doctrinae latius diffusa, etiam imbecillitas ipsa et languor saeculi obstant, quo minus in istos morbos, partim valentiores quam pro natura nostra, implicemur; iam mutati morbi medicinam mutatam postulant. Ne rideant igitur aulici detritum speculum, concedamus hunc scriptorem iis, qui honestam voluptatem ex cognitione rerum, vel praestantissimae linguae usum quaerunt. His, in prima praesertim aetate, vix ullus Graecorum scriptorum ex leviore classe tradi potest, propter facilitatem sermonis et admirabilitatem historiae iucundior, et ad proficiendum utilior.

Iam etsi hoc ex animi sententia dico et expertus, difficile tamen video esse de virtutibus Herodiani dicere; nam et paucas habet et mediocres, eminentem nullam. Non profecto cupide aut gloriose de nostris ingeniis iudicare videatur, qui eorum quemvis, qui nunc praeclari historici numerantur, in simili materia tum rebus acriter explorandis, tum scribendi arte et omni virtute felicius elaboraturum contendat; nec quisquam adeo inepte fautor fuerit veterum, quin vel infimo istorum, qui nuper Friderici nostri gesta conscribillarunt, eundem locum assignet, quem Capitolino, Trebellio, Eutropio. Nemo ergo in Herodiano Thucydidem quendam vel Polybium vel Tacitum aliumve meliore aetate dignum quaerat; neve editoribus temere credamus, quibus, in quocunque scriptore cummaxime versantur, is longe est optimus ac perfectissimus, is πραγματικοῦ et reliquis titulis mactatur, in caelum effertur Atqui tulit hoc illorum temporum fortuna, ut male gestae res plerumque male scriberentur, et huic quoque generi studiorum ornando decora ingenia deessent. Maxime vero post Antoninos in orbe Romano omnis litterarum atque eloquentiae flos exaruit, imperii languorem imitantibus artibus, ita tamen, ut in Graecorum animis insita vis et vigor paullo lentius tabesceret. In illa gente adhuc existunt excellentes aliquot philosophi, rhetores, grammatici et variarum studiosi litterarum, promi rerum utilium ex antiquorum libris collectarum, sed pro-

babilis poëta nullus, nullus orator, nullus historicus. Sin autem in saeculo vitiorum ab omnibus partibus feracissimo ipsa vacuitas a gravioribus peccatis sibi nomen virtutis vindicat, non deest in Herodiano, quod laudem mereatur. Quales sub M. Aurelio fuerint vulgo rerum gestarum scriptores Graeci, cum eorum scripta perierint, ex celebri libello Luciani de scribenda historia intelligi licet. Cui censurae acutissimi iudicis si non tam rudes artifices occasionem et materiam dedissent, non dubito, quin ipse etiam multo subtilius de ea re scripturus atque interiora artis mysteria aperturus fuisset. At vero vitiorum, quae ab illo tam acerbe notantur, omnium prope immunem Herodianum reperimus. Non putido isto et affectato stilo utitur, quo tum plerique virtutes veneresque antiquorum et poëticae et prosae eloquentiae praestantium auctorum venabantur, quid quamque formam orationis, quid locum, quid personam deceret, turpiter ignorantes. Abest a molesta aemulatione elegantiarum Atticarum, in qua doctissimus aequalium quisque sibi maxime placebat, ut verba et formulas loquendi auctoritate Atticorum non munitas tanquam scopulos vitarent, si quid autem πίνον quendam vetustatis oleret, id scriptis suis sedulo inferrent similiter atque hi, qui in Italia ante haec tria saecula Latine scribendi facultatem in usu cascorum verborum ponebant, nativum colorem antiquitatis et succum non curabant. Placuit Herodiano communis dialectus linguae Graecae, quo nomine grammatici appellant, quidquid non est peculiare et proprium Atticorum; unde verba adhibet a Phrynicho et aliis Atticistis improbata. Huc Photii auctoritas pertinet, qui usum eum ait esse vocabulis castis et quasi temperatis, neque nimium Atticis, quibus gratia orationis quotidianae et communis contaminetur. Ex eoque liber magnam habet facilitatem intelligendi, subinde modo turbatam compage minus apta longiorum periodorum et debili commissura membrorum, voculis δὲ et τε nexorum; quarum vocularum nullum scriptorem vidi amantiorem. Ad haec aliquoties formulis

utitur, quibus appareant vestigia Latinitatis; unde coniicias, eam linguam ipsi aut usu, aut certe lectione fuisse cognitam. —

Ipsum si audimus, non propositum habuit annales exili stilo conficere, maxima minima in unum cogendo, sed graviora et prospero aut adverso eventu notabilia velut in tabula proponere, unde vicissitudines imperii et vita principum brevi conspectu cognosceretur; in quo consilio imprimis Graecorum lectorum duxit rationem. Quare minime reprehendendus videtur in eo, quod plura ab aliis minuto obscuroque studio collecta silentio praetermittit, sive obscurius et omissis nominibus hominum significat potius quam enarrat. In eo autem iustam reprehensionem effugere non potest, quod nonnulla ad imperii statum pernoscendum prope necessaria, quod homines quosdam insigniores, quod praecipue res in pace gestas vel neglexit vel levius tractavit. Mitto celebrem constitutionem de ingenuis omnibus per orbem Rom. civitate donandis, cum adhuc in ambiguo sit, utrum M. Aurelium an Caracallam edictum pestiferum auctorem habuerit; mitto persecutiones Christianorum, mitto alia. Nam graviora sunt et certiora, illorum principum auspiciis in variis partibus rei publicae acta, de quibus referre omisit, aut pauciora attulit, quam vellemus, ut de nationibus barbaris iam tum imperium Romanum infestantibus, de principalibus ministeriis et horum mutationibus, de vectigalium novis commentis, et quae sunt reliqua huiusmodi. Quodsi quaedam dixisset brevius, si modo structas principibus insidias, quas prolixe ubique persequitur, neglexisset ac paullum abstinuisset ab ornatu eloquentiae, ineptis passim contiunculis captato, in eadem magnitudine voluminis plura lectu digna afferre potuisset. Denique etiam viros summa auctoritate in rebus administrandis et iurisprudentia claros, quales fuerunt Papinianus, Paullus, Ulpianus, Modestinus, ab eo praeteritos non soli consulti aegre ferunt; sunt adeo, qui illud silentium malignitati eius et invidiae tribuant. Huius vero culpae plane eum absolvendum

caussamque potius in eo quaerendam arbitror, quod non satis pleno commentario rerum memorabilium instructus accesserit ad scribendum, et senex labantem iam memoriam reposcere voluerit, quae accurate litteris consignare debuisset. Itaque Spartianus, Lampridius, Capitolinus, reliquí ex hac classe ad copiam rerum colligendam nobis hodie utiliores sunt, quippe qui, etsi bene scribere ipsi non possent, bonam materiam contulerint, in qua alii melioribus aetatibus elaborarent. Quam autem rem ab Herodiano omissam queruntur omnes, et iure quidem, ratio est temporum et annorum, cuius ita negligens et socors est, ut, nisi alii subvenerint, per hoc totum tempus nobis incerto sit vestigio errandum. Nam sicubi temporum notationem iniicit, facit illud fere in morte imperatorum, tot annos quemque imperasse subscribens. Verum etiam his locis seu pinguiore numero utitur seu falso, sive, ubi numero maxime opus erat, prorsus omittit. Hac in re Herodianus longe superatur a Dione Cassio ubique diligenter tempora distinguente, cum hic in aliis virtutibus vicissim ab illo superetur. —

Cum ex libro eius ingenii lineamenta, quae in illo dispersa reliquit, apud animum colligo et imaginem viri cogitatione fingo, videri ille mihi solet fuisse homo moderatissimi sensus et ingenii lenissimi, nec iudicio promptus nec acumine pollens, veritatis, modo non nimis absconditae, admodum amans nulliusque partis cupidus, in laudando iuxta et in vituperando aequus, minime suspicax, nec superstitiosa captus religione; denique parum eruditus et talis, a quo facilius, quid de rebus vulgus senserit, quam quid ipse iudicaverit, discere liceat. Igitur in nonnullis rebus, quibus excellentia historici censetur, multum praestat Dioni, qui se nunquam non senatoriae partis studiosum et vanis miraculis ac portentis credulum ostendit. Praestat autem plerisque auctoribus Latinis et moderatione et veritatis amore, in arte autem scribendi istos infinito antecedit. Itaque quando duplex occurrit auctoritas, videmus eum certa ab incertis distinguere et, quid sequatur, haesitare;

alibi, si quod prodigium accidisse refert, a credulitate satis alienus rumorem et opinionem vulgi videtur commemorare velle. Quam rem in ista aetate, omni generi superstitionum tantopere dedita, loco sapientiae haberi oportet. Neque minus propterea laudandus est, quod tum, cum taeterrima exempla vitiorum integerrimum quemque ipsius virtutis gratia a vero flectere possent, incorruptum iudicium et moderationem retinuit. In quo vereor tamen, ne interdum hanc in notandis principibus nimiam servaverit. Nam si, amissis reliquis scriptoribus, hic unus nobis testis audiendus sit, nemo, puto, tantam tum fuisse credat humani generis calamitatem. Hanc ingenii formam nobiscum cogitare debebimus, si Pertinacem et Mammaeae filium ultra merita celebratos, si etiam vitia eorum celata, itemque si malorum principum mores non satis atris coloribus pictos viderimus. Multo de his Iulianus scripsisset aliter, si imagines in Caesaribus suis adumbratas expingere voluisset.

CXXXI.

De Angelo Politiano Herodiani interprete.

(Ibid. p. LXXII. sqq.)

Latina Ang. Politiani translatio lucem vidit circiter a. 1490., dedicata pontifici Innocentio VIII. Haec prima editio longe rarissima et anni et officinae indicio caret. Vulgo omnes primam a. 1493. Bononiae prodiisse narrant; sed hoc anno iam altera simul et tertia prodiit, altera Romae, tertia Bononiae. Et eodem anno Innocentius iam mortuus erat; qua una re iste numerus satis refellitur. Postea, maxime saec. XVI., ita frequenter repetita est, modo seorsim, modo una cum Graecis, ut omnes editiones eius recensere sit opera hoc loco inutilis. In laudanda praestantia huius translationis consentiunt plerique, etiam ii, qui passim fidem eius et severam curam omnia exprimendi requirunt. Fecit

hoc imprimis H. Stephanus in praefatione ad suum examen interpretationis et in examine ipso. Sed contra hos scripserunt Boeclerus in Append. editionis suae et F. O. Menckenius in Vita Ang. Politiani p. 150 sqq. Nimirum hic interpres non est ex numero eorum, qui satis fidi sibi videntur, cum singula nobis verba annumerant. „*Tentavimus*, inquit, *uti omnia ex fide responderent, ne inepta peregrinitas, ne Graeculae usquam figurae, nisi si quae iam pro receptis haberentur, Latinam quasi polluerent castitatem; ut eadem propemodum esset linguae utriusque perspicuitas eaedemque munditiae, idem utrobique sensus atque indoles, nulla vocum morositas, nulla anxietas.*“ Fidem igitur in hoc genere putavit esse, vim sententiarum sequi, non litterarum, eamque vim eloqui dictione Latinis auribus digna. Itaque dum liberaliter gestat vincula interpretis, dum ornatum et eloquentiam quaerit, interdum paullum aberrat a sententia, alia omittit, alia addit seu mutat; alias etiam codicis, quo utebatur, vitiis falli videtur. Ceterum si operis venustatem et elegantiam spectes, qua cum exemplari Graeco ita certat, ut illud aequet plerumque, saepe superet, non aliter Ciceronem et aequales illius vertisse dixeris. Et hanc talem interpretationem, ut ipse scribit in epistola ad A. Magnanimum, dictavit vir eximius pauculis diebus, sic deambulans.

CXXXII.

De labentis eloquentiae Latinae habitu cultuque.

(Fr. Aug. Wolfii praef. ad M. Tullii Ciceronis, quae vulgo fertur, orat. pro M. Marcello. Ed. Berol. 1802. 8. p. XVI. sqq. XXX. sqq.)

Omnino duae sunt caussae, propter quas antiqui oratores Romani litteris consignarent forenses et senatorias actiones, rebusque saepe multo ante transactis per otium componerent orationes suas. Unam caussam afferebant res ipsae, si magnae, si illustres, si difficiles tractatu essent, si copiam

darent egregii speciminis elaborandi, quo legendo alii delectarentur, alii assidue intuendo proficerent in arte, cui maxima illo tempore praemia proposita erant. Ita scriptae sunt, quae partim nė haberi quidem potuerunt, Verrinae et Philippicae et plures aliae, de quibus mentio facta est in Epistolis ad Atticum. Huic enim et aliis quibusdam familiaribus, imprimis iis, qui in provincia versabantur, Cicero mittere solebat exempla horum scriptorum, quae spectata illis et probata paullo post multifariam descripta iuventus, optimorum studiorum et vere Romanae artis aemula, cupidissime conquirebat. Atque hanc caussam edendi Cicero, illud praesertim aetatis, frequentissimam habuit pariter in accusationibus ac defensionibus. In defensionibus autem accessit interdum aliud scribendi consilium, cum is, quem patronus discrimine fortunae capitisque liberasset, ab eo dictam seu verius elaboratam de iisdem argumentis orationem legere et quasi denuo frui innocentia sua cuperet. Quem ad usum compositam esse cognovimus eam, quae est *pro rege Deiotaro*, quam a se scriptam ipse auctor testatur, ut gratum faceret veteri amico, etsi caussa tenuis esset, nec admodum eo labore digna. Itaque quod apud nos fere faciunt ii, qui se ad habendam orationem parant, ut calamo accurate meditentur, quod in actu rerum dicturi sint, apud Romanos illis temporibus moris non fuit, nec dubitabant oratores, iuvenili doctrina et forensi exercitatione freti, extemporali facultati se committere, aut, si quid antea formaverant et in commentarios rettulerant, id sibi, non aliis notatum, excidere et pervulgari non patiebantur. Etenim ante Octavianum Augustum vix quisquam Romae *recitabat* neque in contione neque apud iudices, et ad solas acroases pertinebat recitatio seu lectio, nec *recitabantur* in senatu sententiae, sed *dicebantur*, nisi aliquid gravius et difficilius magis meditata et concepta postularet. Multo minus iudices aut populus tulisset oratorem *de scripto dicentem*, etsi nonnunquam ad illos in gravioribus caussis afferebatur meditata oratio. Sed postquam versa rei publicae forma novos mores in rebus plurimis, et novum

ingeniis habitum cultumque induxerat, omnis prope vis dicendi ad *scripturam* recidit, quae illius quondam magistra et adiutrix fuerat; et cum mutari id humana ope nequiret, quod paullo ante Cicero praedixerat eventurum, ne obmutesceret et interiret eloquentia, splendidis et animosis caussis orbata, studiosi in umbra ludorum quaerere coeperunt argumenta antiquioris aevi, quibus stilo ornandis seu in conspectu auditorum declamandis linguam acuerent, animumque magnarum rerum memoria et vetustatis spiritu nutrirent. Eadem res non minus in poësi accidit, cum ii, qui maxime omnium scriptorum in lucem et publicum conspectum prodire volunt, scenici poëtae, fabulas suas, antiqua plerumque argumenta, soli recitationi intra parietes auditorii scribebant; quo in genere hodieque exstant tragoediae sub nomine Senecae tragici. Iam prosae eloquentiae magistri suis discipulis certatim praelegebant orationes ad normam veterum conscriptas, alii liberius de quavis proposita re, sive vera sive ficta, declamitabant, partim ex praeparato, partim ex tempore; fuit adeo sub Augusto clarus quidam professor artis, qui institutionem suam una propria declamatione contineret. Ex illis autem antiquis oratoribus Ciceronem, statim post mortem eius, praecipua cura lectum, eiusque nomen, ceteris omnibus, qui cum eo de fori principatu contenderant, posthabitis, vulgo iactatum et tanquam ipsius artis, non hominis, celebratum esse, plures loci ostendunt apud Senecam rhetorem, Velleium, Iuvenalem, alios. Nihil igitur mirum est, si declamatores, qui, Ciceronis copiam ut imitatu facillimam adamantes, totos se ad illum legendum et ediscendum dedissent, ex tanto numero orationum elegerunt aliquas, quibus modo refingendis certamen quoddam elocutionis tentarent, modo, contrariis partibus sumptis, reos Ciceronianos defenderent, aut ab illo defensos accusarent; postremo ex omni occasione, qua eum verba fecisse ex historia constabat, declamatoriam materiem decerperent, in qua polienda et coloranda versari sibi in foro et in curia germanique Cicerones esse viderentur. Sic quodammodo

supplevit ista natio, quodcunque maximus auctor artis suae aut omnino non dixerat, cum dicere potuisset, aut neglexisset certe scribere, cum dixisset, siquidem multarum caussarum, quas oraverat, nullae ab eo confectae erant orationes. —

Itaque in barbara usque saecula dimanavit iste mos declamandi cum omnibus vitiis et corruptelis ingeniorum, quae cum eo coniuncta esse ipsa res monet. Nam cum a tenuibus initiis profectus primum utilis esset futuro oratori, mox late diffusus omnem Latinae eloquentiae sanitatem sic perdidit, ut post principatum Tiberii exiguus fuerit numerus oratorum et scriptorum, quem a publica contagione immunem praestiterit melior genius. Quippe maximam partem infamiae, qua hodie aetas labentis linguae urgetur, illi uni caussae assignari par est. Vehementer enim errare videntur, qui hanc aetatem, quam vulgo argenteam vocamus, de ipsius linguae neglectu et depravatione accusant, quasi post Ciceronem Latini Latinis verbis uti desiissent; quo errore aliquot abhinc saeculis ducebantur viri docti, qui nomen Ciceronianorum adepti sunt. Immo multa sunt argumenta, quibus demonstremus, copiam et nitorem sermonis usque ad Antoninos crevisse, diligentius exculta lingua, aptioribus vocabulis et formis loquendi partim ex prisco usu revocatis, partim novis ad normam analogiae procusis, etiam subtiliore cura discretis significationibus. Sed qui primus hac in parte plurimum iuvit Latinitatem, eundem, si fas est dicere, primum in poësi declamatorem exstitisse videmus, etsi venustissimum et ingeniosissimum, Ovidium; prosam autem orationem et historiam simili labe inquinavit Trogus Pompeius, pendens maxime a Theopompo, in quo antiquitas scholam Isocratis rhetoris agnovit. Reliquos quid nominem, qui in omni genere compositionis pravas argutias, effrenatam lasciviam, tumorem, fumum, ineptias cupide captaverunt dictionemque finxerunt a recto iudicio veterum mire abhorrentem? Scilicet illi sibi cum tot scriptoribus, qui etiamtum vulgo in manibus erant,

certandum et novis modis dicendum, aut turpiter conticescendum putabant. Exinde nata sunt festiva acumina Q. Curtii, puerilis affectatio Valerii Maximi, pinguis laetitia Flori, dulcia, sed quodam modo generosa vitia Senecae philosophi, praecipites furores et tinnitus poëtarum, Valerii Flacci, Statii et aliorum; etiam Graecorum, qui se maxime Romanis moribus obleverant, scholasticae deliciae, et istorum, quos Lucianus irridet, ut Dionis Cassii confectio directarum orationum, his Ciceronianis non dissimilium. Atque horum omnium scriptorum ut quisque fertilissimo erat ingenio, ita perniciosissime iuvenes in sui admirationem rapiebat; id quod prudenter fecisse legimus Senecam, qui et Neronem suum a lectione veterum oratorum avertit. Quid? quod ii, qui saeculi sui corruptelis obniti ausi sunt vel doctrina vel exemplis, parum in ea re efficere potuerunt, ipsique ita scripserunt, ut recentia vitia magis vitasse, quam antiquam vim et siccitatem et elegantiam assecuti esse videantur. Adeo enervatur optimus quisque publicis moribus, et fato quodam ineluctabili civitatum simul fortuna atque ingeniorum color et habitus vertitur.

Corrigenda.

Pag.	1. lin.	9.	ab ima leg.:	*ceteraque* pro: caeteraque.
„	30. „	14.	„ „ post:	„intuens“ suppl.: cum ipse nihil in arte possit,.
„	„ „	11.	„ „ leg.:	*honorumve* pro: bonorumve.
„	32. „	24.	„ „ „	*quod* pro: quo.
„	„ „	21.	„ „ „	*plerasque* pro: pleraque.
„	59. „	4.	„ „ „	*Muretus* pro: Muretns.
„	98. „	10.	„ „ „	*hominibus* pro: homoinibus.
„	28	in tit. pag.	„	*Christophorus.*
„	117.	inscriptio sic legenda:		*de vita et studiis Ioannis Georgii Graevii.*

Typis exscripsit E. Stephan, Plagvitii prope Lipsiam.